VERSTEGAN

CRUDELI

TATEM

NOSTRI

TEMPORIS

ANTUERP.

1587

Alfred Francis Blount.



ANTVERPIÆ,
Apud Adrianum Huberti,
Anno M. D. LXXXVII.

Cum Priuilegio.

Hæ Sanctorum Martyrum nostri temporis iuxta antiquas sanctiones, annotationes ac registrationes, gestorumq; ac paßionum ipsorum descriptiones, quas etiam ipsæ imagines ac figuræ perpulchrè ac clarè demonstrant, vtiliter omnibus, piis ad confortationem, malis autem ad conuersionem, proponentur. Quare prælo committi posse iudico. Datum Antuerpiæ 14. Calend. Septemb. Anno 1587.

Siluester Pardo, S. Theologiæ Licentiatus, Cathedr. Ecclesiæ Antuerpiens. Canonicus, librorumque Censor.

Quorum respectu, concessum est per Regis Consilium, ius, & priuilegium sex annorum, vt hæc dicta excudi & euulgari poßint, quemadmodum litteris Originalibus latiùs patet, datis Bruxellæ, nono die Septemb. 1587.

& signatis

Lombarts.

PRINCIPIBVS, POPVLISQVE CATHOLICIS PACEM ET SALVTEM IN Domino: ipſis autem Catholicę fidei perſecutoribus, veritatis cognitionem, veramq́; Eccleſiæ obedientiam R. V. exoptat.

SANCTISSIME illud maiores noſtri obſeruarunt, vt ad Dei gloriam, commodumq́;, ac pietatem fidelium promouendam, & ſanctorum denique Martyrum honorem latiùs propagandum, ſumma cura & fide Martyrum res geſtas, præclaras inquam confeſſiones, atque certamina, diesq́ue tandem ipſos literis conſignarent, ſuosq́ue in Faſtos referrent: quo deinde ſecutura ætas, ſolennes debitosq́ue Martyribus honores deferret, ac ſubinde ad eos imitandos, conſectandosq́ue excitaretur. Et hunc quidem morem primis illis Eccleſiæ temporibus, cùm Imperatores Romani, Ethniciq́ue Tyranni ac Dynaſtæ, plures Martyrum myriadas crudeli morte mulctarunt, vt dixi, ſeruarunt ſanctiſſimè, & edito in hanc rem canone nobis ſeruandum tradiderunt. Cùm verò ætáte conſequente Gothi, qui & Getæ, in Europa, in Africa Wandali, vtrique Arriana impietate incitati, ſumptis armis, & moto in Catholicos bello, Imperatorum Ethnicorum crudelitatem imitati, longiſſimè ſuperarent: inuenti ſunt qui eam quoque Eccleſiæ calamitatem, Martyrumq́ue conſtantiam annotarent, in quibus, vnus maximè Victor Vticenſis Epiſcopus elaborauit. Nec defuerunt ætatibus conſequentibus, vires reſumente, hæreticis aliis adminiſtris, eadem ſemper tyrannide; qui paterentur vt hoſtium Catholicam fidem perſequentiũ crudelitas ſcribentium diligentiam ſuperaret. Sed vetera mittamus, quando noſtra nos mala circunſtant. In quæ enim tẽpora, Deus bone, & in quam luctuoſam incidimus ætatem! Intrarunt Pſeudoprophetæ, erroris ſpiritu pleniſſimi, & eheu ſeducũt multos. Venerunt enim in veſtimẽtis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Itaque ſtragem tantam ediderunt, vt

eam ſe nemo verbis, aut voce aſſequi poſſe confidat. Quas enim nobis calamitates atque miſerias non inuexerunt! Nobis, inquam, hoc eſt, Chriſtianis atque Catholicis, quippe qui eandem Eccleſiam, fidem, ſocietatemque profitemur, quam maiores olim noſtri, quos iiſdem de cauſis Romani Imperatores Ethnici, Arriani, Gothi, ac Wandali, ceterique à fide laborantes hæretici perſecuti ſunt.

Quare miſeranda omnino noſtra conditio, vtpote qui hoſtes, & perſecutores patiamur eos, qui eodem nobiſcum Chriſtiano nomine cenſentur, eodemque baptiſmate abluuntur; ſed auitam deinde fidem deſerentes, inque nefandam hæreſim, apoſtaſiamque ruẽtes, ita penitus omni rationis priuantur lumine, vt ſuos ipſi errores clariſſima in luce cernere non poſſint: adeoque à mentis ac rationis ordine abierunt, vt quam fidem tot iam ſeculis confirmatam, & quaſi per manus à maioribus traditam, patres noſtri inuiolatã coluerũt, quamq; vita & morte feliciter obita cõſecrarũt, noui hi ſancti, ſi Diis placet, reformare ſe velle fateantur. At verò vti lõgè turpiſſimũ eſt, velle cõuincere eam fidẽ, & iactare eſſe reformandã, cuius fundamentũ Chriſtus Dominus firmiſſimũ collocauit, quam confirmauit Spiritus ſanctus, quã Apoſtoli, eorumq; legitimi ſucceſſores, nobis inuiolatè conſeruandã commendarunt; & ab iis quidẽ reformandam hominibus, qui tantis, tamq; variis flagitiorũ ſordibus inquinati, ex eadẽ ipſa deſciuêre, (notæ enim *Caluini*, notæ *Bezæ* parentum æquiſſimorũ filiorum cum natura pugnantes libidines, vt cætera taceam, quæ alterius dorſo lilium; alterius vitæ, infamiæ notam inuſſerunt) ita planè optimo cuiq; maximè luctuoſum, ipſam reformandi rationem, & ordinẽ cõſiderare. Neq; enim aut vitæ aliqua ſanctitate, aut orationis pietate, nõ ieiuniis, nõ caſtitate, non obedientia ſuam nobis reformationẽ cõmendarunt; ſed maledicentia, ebrietate, luxuria, rebellione inquinarunt, nihil veræ pietatis præ ſe tulerunt, nulla diuino cultui templa conſecrarunt; ſed ſanctiſſimas quaſque ædes, monaſteria, aliaq; religionis Chriſtianæ monumenta inuaſerunt atque vaſtarunt. Nulla nobis miracula ediderunt, mortuos nullos ad vitam reuocarunt; ſed homicidiis, ſed frequẽtibus ſacerdotum, ſeruorumq; Dei mortibus, ſuam nobis reformationem Reformatores egregij conſignarunt. neque ſane id mirandum, cùm ſemẽ hoc & ſtirps malorum omnium ex iuuenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus coaluerit, verè vt de iis dici poſſit quod olim quidam de coniuratorum cœtu: Quis pietatis hoſtis, quis apoſtata, quis veneficus, quis gladiator, quis latro, quis parricida, quis teſtamentorum ſub-

uerſor,

uerſor,quis circumſcriptor,quis ganeo,quis nepos,quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor iuuentutis,quis corruptus,quis perditus inueniri poteſt, qui in hanc non coierit ſocietatem? vt cuique clariſſimum ſit, quo tandem ſpiritu agitentur, eo nimirum ipſo, quo veteres quondam Ethnicique tyranni, quo Arriani, ceterique id genus hæretici, à quibus fœdam hanc immanemq; crudelitatem hauſerunt.

Sic non ita pridem Bohemi hæretici, Duce quodã Ziſca, viro profligatiſſimo ac perditiſſimo, res nouas moliti ſunt: ſic deinde Apoſtatæ varij, varias in regiones calamitates prope infinitas inuexerũt. Atq; vt exẽpla longinqua nõ quęramus: *Henricus* VIII. Rex Angliæ poſt defenſam inſigniter fidẽ, edito aduerſus Lutherũ libro, libidinis ventriſq; mancipium, ſibi vt legitimam vxorẽ repudiare liceat, aliamq; ducere, à ſummo Pontifice contendit; vbi non impetrauit, Sedem Apoſtolicam, Eccleſiamq; ipſam repudiauit, & ab eius ſe vnione ſeiunxit, cui annis 900. Reges, populique Angliæ vniuerſi religioſiſſimè ſeruierunt. Itaq; Anglicanæ Eccleſiæ ſe caput appellat, lataq; lege, ab omnibus, Clero, populoq; vt appelletur, & habeatur, ſolenni iureiurando per fas & nefas extorquet, nulloque ordine optimos quoſque ac nobiliſſimos impium iuſiurandum deteſtantes, omni crudelitatis genere, morte deniq; ipſa mulctandos iubet, nuſquam vt veteribus tyrannis debuiſſe videatur. *Schiſma Angliæ.*

Paucis deinde labentibus annis, Hugonotæ, (quo nomine Galli *Caluini Bezæq;* diſcipulos iam tum à primo ſuo exortu appellarunt) quòd præ ceteris hæreticis crudeliſſimi eſſent, ſanguiniſq; auidiſſimi, horribili omnino Gallias tumultu, internoque bello commouerunt; barbaras & inauditas hactenus ſtrages ediderunt: quodq; vnum maximè Chriſtianiſſimum Regem ſuis obſtare conatibus viderent, vno in eum conſenſu, ſed occultè mouerunt, eoque prætextu oppida ac ciuitates diripuerunt; templa, & tot annorũ tam multa ſanctiſſima monaſteria ſpoliarunt, iniectiſq; flammis deuaſtarunt; omnia paſſim depopulati, vbique crudelitatis infinita veſtigia reliquerunt; ſacerdotum, piorumque hominum ſanguine, vrbes, vicos, agros, ipſoſque priuatos parietes fœdantes. O igitur miſerandam Galliæ nobiliſſimæ, & olim feliciſſimæ ſortem, quam tam perditi homines tam miſerè dilaniarunt! Nihil mihi hic opus eſt antiqua commemorare, recenti etiamnum ſanguine madent vulnera, nulliuſq; adhuc artis medicamina ſatis profuerunt. Nondum viperea ſoboles iuſtas ſceleri pœnas dedit, ipſo parituræ fouetur in vtero, & cancri in modum ſerpit, erumpet tandem, vimque ſuam funeſtiſſimo exeret partu. *Hugonotarum in Gallia motus.*

Cogita, precor, qualis futura ſit facies tua, ſi quando rerum potiantur qui tuo imperio continentur, & iugi ac legum impatientes tanta in te & tua viſcera tyrannide ſæuierunt, quorum funeſtas & periculoſiſſimas ſtrages quis non dico exprimat, ſed adumbret! Quod ſi pacem & quietem ſimulantes, re autem vera, arma & inteſtinas cædes ſpirantes ferendo, tranquillitati tuæ optimè conſultum putas, falleris plurimum. Viuunt, & in tuam perniciem viuunt, diſſimulatione & lenitate. Vrſos quidem comitate & beneuolētia cicurari & manſueſcere cernimus, at tygres nūquam.

Doceant te aliorum caſus, quibus ſi nihil permouêris, miſerrimam & plus quàm Ægyptiacā ſeruitutem exſpecta, cuius exemplum tibi præbet miſera, & prorſus infelix hodie Anglia. Perpende quanto tot ſeculis de Barbaris, & Chriſtiano nomini infeſtiſſimis nationibus triumphans, tibi, totique orbi fueris honori & ornamento; vt iure & quadam veluti hæreditate Chriſtianiſſimi titulos & nomen, ſolus Rex tuus promeruerit. Noli itaque committere, vt tam ſanctum, tamque honorificum nomen ſordida & infamis hæreſis inquinet.

Chriſtianiſſimus etiam & religioſiſſimus Rex tuus auos, proauos, ac omnem retro ætatem decurrat, inueniet ſuorum fuiſſe neminem, qui pateretur de hæreſi ſuſpectum in Gallia pedem figere, ne dicam viuere. Expendat præterea quæ domi, quæ foris, quæ domeſticis, inquam, quæ verò exteris hæreticis adhibenda ſit fides. Nam vbi hæc hæreſis lues callidè & occultè ſe inſinuarit, continuè ferocis & indomitæ beſtiæ inſtar, omnia longè lateq; depaſcit, & fœda ſtrage depopulatur, ne ſibi ipſi quidem ſatis fidelis: cuius rei plurima argumenta calamitoſi multorum, vel etiam à fide laborantium, exitus præbent, quos politica & ciuilis quædam agendi ratio imprudenter allectos, turpiſſimè decepit, & perdidit. Ac vna Anglia exemplo eſſe poteſt, quæ hoc veterno ebria, in finitima regna & prouincias venenum euomuit, Gallis, Scotis, Belgis grauis, quorum funera & calamitates ſi nihil commouent, ſi non euerſa Scotia, non in ruinam inclinans Gallia, non miſerrimè vaſtata Belgia animum perturbant, Ducis Alenſonij germani fratris caſus excitet, cui nobiliſſimo Regioque iuueni infidæ hæreticorum amicitiæ, cladem, morbum, mortemq; ipſam luctuoſiſſimam magno Galliæ malo pepererunt; ipſum denique capiti imminens periculum commoueat, cùm lacerato & diſciſſo regno ſolus tam claræ familiæ ſit ſuperſtes.

Geuſiorū in Belgio furor.

Venio ad Belgas, in quos progreſſa hæreſis ex eadem *Caluini Bezæq;* ſchola Geuſios, hoc eſt, vagos nebulones (quo nomine gaudent, qui Germaniæ

maniæ inferioris agros deuaſtant) emiſit, nihil omnino Hugonottis crudelitate & barbarie diſſimiles, qui vt quam ab iis religionem (immanitatem dixeris) didicerant, ſuas in vrbes, & propria viſcera exercerent, vt illi Chriſtianiſſimum Galliæ, ſic hi catholicum, & clementiſſimum Hiſpaniæ Regem eiurarunt, & ſpecie purioris religionis (quibus tamen nulla eſt religio) reſtituendę, multorum capitum monſtrum, & diſſidentes opinione, doctrina, veritate ſectas inuexerunt, atque vlterius progreſſi (vt ſanguinaria ſemper eſt hæreſis) proditione, ferro, flamma, omnia vaſtarunt, adminiſtro primum Auriaco Principe, homine verſipelli & ſceleratiſſimo, & qui viperæ inſtar beneficentiam crudelitate compenſaret. Deinde euocatis Gallis, poſtremò Anglis, vt eorum auſpiciis inauſpicatis libertatem, aut potius ſeruitutem affectatam tuerentur, quorum cædes, incendia, direptiones parte aliqua ſubiectæ tabellæ edocebunt.

Vtinam hic Belgæ pacis quondam, fideique auitę commoda amiſſa expendant, & in quantam calamitatem ex florentiſſimo rerũ ſtatu, in quantam inopiam, ex omnium rerum abundantia, in quam miſeram ſeruitutem, ex pulcherrimo dominatu, Catholica fide in hæreſim permutata, deuenerunt, noſcant, notatisque tantæ vaſtitatis auctoribus, ingenio, armis, corporum & fortunarum oppoſitione procul à finibus ſuis exigant. Falluntur enim maximè, ſi à ſuis, ſi ab exteris auxilium, altiſſimamq́; tranquillitatem exſpectent: fieri namque nõ poteſt, vt quibus ſuaſoribus tanta in rempub. inducta eſt calamitas, iiſdem authoribus pax & vera ſecuritas habeatur. Nota præterea Anglorum ingenia, qui vicinorum excidio & vaſtatione portus ſuos, murosque vrbium firmari arbitrantur, & ciuiles Galliæ & Belgiæ gladios, Angliæ ſalutem exiſtimant, tumque à iugulo & ceruicibus ſuis ferrum auerti putant, cum multo vulnere aliorum corporibus & ſanguini immergitur & innatat. Ac certè quantum auxilij eorum arma Belgię attulerint, varij caſus demonſtrant.

Quàm ergo conſultiùs, ſalubriusque foret, ſi reiecta verſicolore meretrice, hæreſim dico, depulſisq́; qui per vim dominantur paucis tyrannis, & reuocato diuino humanoq́; iure, Regem ſuum catholicum illum & mitiſſimum recognoſcant, cui non noua, & in quodam angulo nata religio, ſed antiqua, ſed catholica, ſed ea in quam maiores veſtri, vosque in maioribus iuraſtis, probatur; quem non arma, non cædes, ſed toga, ſed ſalus veſtra delectat, cuius imperium nullis finibus, ſed vna cum orbe ipſo terminatur. Nõ pudeat illi ſubiici monarchæ, quem Hiſpani, quem Itali, quem Afri, quem Indi, ac penè vniuerſus orbis, Regem, Dominatorem, Defenſoremque

ſoremque iuris & libertatis fatentur. Non ſit graue illi ſubeſſe Gubernatori & Imperatori, quem præter prudentiam & comitatem infractus & ſemper victor animus, regius ſanguis, *Parmæ Placentiæq;* nobiliſſima dominatio commendat, qui vobis non exagitator crudelis, ſed ductor, ſed patriæ pater datur. Pudeat tam diuturnæ à fide & à Rege defectionis, pudeat ſordido & infami nomine Geuſios dici, & à bonis quibuſq; appellari.

Proteſtantiũ in Anglia crudelitas. Quid ærumnas & Angliæ calamitates commemorem! in cuius cæde bacchata hęreſis nihil ad crudelitatem & impietatem fecit reliqui. In hoc tamen vt ſibi videtur pia, quod perduellione, de qua Catholicos iniquiſſimè accuſat, crimen ſuum tegat. Vtque rei nomen reſpondeat, non illa ſuos complices Hugonottos aut Geuſios (quod vtrumque ſordidum ſit & infame) ſed Proteſtantes vocat, digno ſanè factis ſuis vocabulo, cùm aliud agant, aliud proteſtentur. Nam cùm vinculis, bonorum direptione, proſcriptione, tormentis, morte denique ipſa Catholicos ſola fidei cui firmiùs, ſanctiusque adhærēt, cauſſa opprimant; proteſtantur tamen nulli religionem fraudi fuiſſe, neminem in Deum, & Romanam Eccleſiam pietatem condemnaſſe, ſed Regiam maieſtatem læſam, ſed cõtemptas regni leges, & decreta ſanctiora. Quamquam verò Proteſtantium in Catholicos inhumanum odium, & odio adiuncta crudelitas, orbi penè vniuerſo innotuerit, legesque & facinora quæ vocant decreta, quorum violationem læſæ maieſtatis crimen faciunt, paſſim ab omnibus vt impiè conuellantur, & proſcindantur; vt etiam in prouerbium abierit, Anglicana perduellio: breuiter tamen hic aliqua attexam doloſa & malitioſa, vt eorum appareat proteſtatio, palamque ſit orbi vniuerſo, quàm eiuſmodi adinuenta cum honeſtate, ratione, fide, adeoq; religione ipſa pugnent, & quàm parum politicè in eos ſæuiant, quorum humeris, doctrinæ, pietati, totius Regni innititur ornamentum. Atque vt maior ſit narrationi fides, locum, tempus, legum ipſarum ſententias ordine comprehendam.

Anno primo. *Indicta igitur fuerunt Procerum, Ordinumq; Regni comitia, Parlamentum vocant, apud Weſtmonaſterium, anno Domini 1559. Regni autem* Elizabethæ *Reginæ primo, vigeſimo tertio die Ianuarij, & continuata vſque ad octauum Maij ſequentis. In iis inter cætera decretum fuit, vt conſtitutiones omnes ab* Henrico *Rege eius nominis octauo, promulgatæ, ad omnem externam vim è Regno exterminandam reuiuiſcerent, & priſtinum robur recuperarent: Et vt conſtitutio quædam à* Philippo *&* Maria *primo & ſecundo Regni ſui annis edita, abrogans omnia ſtatuta publicata aduerſus Sedem Apoſtolicam Romanam, exinde annullaretur, & nullius eſſet effectus, & vt*

omnis

omnis iurisdictio, quam quondam vis Ecclesiastica exercuerat ad cogendum in ordinem omnes Ecclesiasticas personas, ad reformandum & corrigendum hæreses, perpetuò regali coronæ annecteretur, & vt Reginæ eiusq; successoribus plena imposterum potestas & authoritas foret de iis disponendi.

Vt verò constitutiones hæ in maiori robore conseruarentur, vlterius cautum fuit, vt personæ omnes tam Ecclesiasticæ quàm sæculares aliquo functuræ officio, aut Reginæ stipendia percepturæ, iuramentum præstare cogerentur, tactis Euangeliis, hoc modo: Ego *A. B. testificor prorsus ex animo & conscientia affirmo Reginæ maiestatem, huius regni, aliorumq; suorum dominiorum & præeminentiarum esse gubernatricem solam, tam in Ecclesiasticis & spiritualibus, quàm sæcularibus negotiis, nec vllum externum Principem, Prælatum, personámue cuiuscunque status aut potentiæ sit, habere, aut habere debere hoc in regno iurisdictionem aliquam, potentiam, superioritatem, præeminentiam aut authoritatem Ecclesiasticam siue spiritualem. Et idcirco omnibus externis iurisdictionibus, potentiis, præeminentiis & authoritatibus renuncio, easq; omnino desero. Et polliceor me exinde præstiturum fidelitatem, & obediens ministerium Regiæ maiestati eiusq; hæredibus & legitimis successoribus, & pro viribus defendam, atque tuebor omnes iurisdictiones, priuilegia, præeminentias & authoritates concessas, & competentes maiestati Regiæ, eius hæredibus & successoribus, aut annexas & vnitas Cæsareæ huius regni coronæ. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

Item quicunque Sacramentum hoc præstare recusauerit, officio suo priuabitur, & inhabilis per omnem vitam declarabitur ad demerendum aliquam dignitatem, nisi eo præstito sacramento.

Item, si quis verbo aut scriptis tueri aut præferre vellet potestatem aut iurisdictionem ecclesiasticam Principis alicuius aut Prælati, qualiscunque is sit: Prima vice bona eius omnia fisco addicentur: si verò non æquiualeant valori librarum viginti, tum præter bonorum omnium amißionem, & annales carceres patietur. Secũda vice, supra amißionem bonorum omnium, ad perpetuos damnabitur carceres. At si in eundem errorem tertio inciderit, is error vt maxima proditio iudicabitur, & mortis pœnas in proditores statutas noxius perpetietur.

Decretum itidem in iisdem Parlamentalibus Comitiis fuit, nullas ex constitutionibus eorundem authoritate prolatis, siue ex religionis, siue ex alia quacunque causa vllo in posterum tempore pro erroribus hæresi aut scismate haberi posse.

Item quicunque repertus foret Sacramenta administrasse alio modo quàm

id authoritate eiusdem Parlamenti præordinatum erat quodam in libro, cui titulus, Preces communes; mulcta centum marcarum applicanda fisco Regio plecteretur, aut sex mensium incarceratione. Secundo, in id peccans quadringentis marcis aut duodecim mensium incarceratione. Tertio autem, bonorum omnium ademptione & carceribus perpetuis.

Anglicus Alcoranus. 100 marcæ Anglicanæ conficiũt circiter 222. aureos coronatos. 12. denarij Anglici faciũt dimidiũ Florenum.

Item, quicunque templa eorum diebus Dominicis aut sacris non frequẽtasset, duodecim denariis singulis vicibus mulctaretur.

IN *Parlamentaribus Comitiis Westmonasterij indictis duodecimo Ianuarij die, anno Domini 1563. Regni verò* Elizabethæ *Reginæ quinto, decretũ est, Quemcunque cuiuscunque status aut conditionis sit, qui scripto, numeris, concione, actu, aut quouis alio modo niteretur,* Episcopi Romani *authoritatem, olim in eo Regno vsitatam, defendere, aut sedi Romanæ attribuere præeminentiam aliquam, vnà cum auxiliariis, aßistentibus, & consiliariis, omnibus reditibus & bonis, & perpetuis carceribus mulctandum.*

Secundò, vt omnes Ecclesiasticos suscepturi ordines, futuri pædagogi, & quæcunque aliæ personæ aliquem eruditionis gradum inauguraturæ, aut ad administrandæ iustitiæ dignitatem aliquam admittendæ, iuramentum primo eiusdem Reginæ Regni anno cautum præstent, priusquam ad aliquam dignitatem aut officium admittantur, qualiacunque tandem illa sint. Et quicunque huic edicto refractarius extiterit, ei omnes sui reditus & bona adimentur, & perpetua incarceratione plectetur.

Tertiò, si quis in supra dicta peccauerit, & semel conuictus, rursus relapsus Episcopi Romani *authoritatem prætulerit, & hic eiusq; fautores & consiliarij iuramentum, cuius ante meminimus, intra trium mensium deliberandi spatium præstare recusauerit, tum is tales amißiones, mulctas, & mortis pœnas patietur, quales in causis summæ proditionis statutæ sunt.*

Ita tamen, vt quicunque in posterum electus erit ad Parlamentarem dignitatem, idem iurare cogetur, nisi puniri malit eo modo, quasi in Parlamentaribus Comitiis sine electione aßidere præsumpsisset.

Ita etiam, vt Baronum nullus, aut eorum qui Baronum dignitatem in statu seculari excedunt, tale iuramentum præstare cogantur.

IN *Comitiis Parlamentaribus Westmonasterij indictis secundo Aprilis die, anno Domini 1571. Reginæ autem* Elizabethæ *decimo tertio, in decreta relatum est, vt quicunque Reginam hæreticam, scismaticam, aut tyrannicam appellaret, proditor iudicaretur, & talem pœnam, mortem, & bonorum ademptionem pateretur, qualem summæ proditionis aut perduellionis conuicti.*

Item quicunque, viuẽte Regina, ausurus est scripto publicare, aut declarare

quis

quis sit, debeatue esse legitimus hæres aut successor eius (nisi naturalis corporis eius progenies sit) in pœnam prioris culpæ, annum vnum carceribus detinebitur, & dimidio bonorum mulctabitur. In pœnam autem alterius culpæ, bonorum omnium ademptionem, & carceres perpetuos experietur. Legitimos nullos habet.

Item, quicunque Romanas absolutionis seu reconciliationis Bullas importauerit, earum authoritate aliquem absoluerit seu reconciliauerit, verbis, scripto, aut alio quouis modo absolutionem aut reconciliationem alicui promiserit, aut tali medio absolutionem aut reconciliationem meruerit. Quicunq; etiam Romanas quacunque de causa Bullas scriptáue impetrauerit, eundem ob omnes & singulos actus hos proditionis summæ notandos, & tanquam perduellionis reos, redituum & bonorum omniū ademptione mulctādos, & morte puniēdos.

Item quicunque in Regnum intulerit Agnos Dei, cruces, imagines, grana, aut quodcunque aliud à Romano Pontifice benedictum, aut ab alio quocunq; ab ipso authoritatem habente, & tale quid alicui in Regno ferendum aut vtendum tradiderit, tum & qui intulerit, & qui receperit, pari pœna punientur, scilicet amißione bonorum & redituum omnium, & incarceratione perpetua.

Quicunque (nisi notus mercator) Regni fines sine speciali Reginæ licentia excesserit, & vltra sex menses absens remanserit, terræ & bona eius omnia, fisco erunt addicta.

In seßione Parlamenti Westmonasterium conuocati decimo sexto Ianuarij, anno Domini 1581. Reginæ verò Elizabethæ vigesimo tertio, decretis cautum fuit, si quis persuasionibus aliquem ex subiectis Reginæ à Religione authoritate eius instituta abduxerit ad religionem Romanam, aut eum commouerit, vt fidei Romanæ obedientiam aliquam promitteret, is & mulctabitur, & punietur tanquam perduellionis reus.

Item qui voluntariè absolutionem aut reconciliationem impetrauerit, seu abduxerit, aut obedientiam tali authoritati pollicitus fuerit, is iudicabitur meruisse pœnas & mulctas summæ proditionis.

Item siue quis taliter delinquenti auxiliatus fuerit, aut fauerit, aut eius conscius, intra diem vigesimum id non indicauerit alicui ex magistratu, amißione bonorum viuo eo plectetur, corpusq; eius Reginæ placitis exponetur.

Item, si quis Missam dixerit aut cantauerit, in mulctam ducētarum marcarum incidet, & vnius anni captiuitate macerabitur. 444 coronati aurei.

Qui autem Missam audierit, centum marcas fisco exsoluet, & captiuus vnius anni spatio detinebitur. 222 aurei coronati.

Item quicunque annum excedens decimum sextum conuictus fuerit templa & sacra primo regiminis eiusdem Reginæ anno statuta non frequentasse, is in sin-

20. libræ Anglicanæ, conficiũt circiter 66. aureos coronatos.

in singulos absentiæ suæ menses, viginti libras pendere cogetur.

Item quicunque ludimagistrum templa non visitantem retinuerit, singulis, quamdiu eum retinebit, mensibus, decem libris mulctabitur, & ludimagister taliter delinquens, captiuus erit per annum vnum, & iuuentutis pædagogus inhabilis declarabitur.

IN *Parlamento Westmonasteriensi incepto 23. Nouembris, anno Domini 1585. Regni autem Reginæ* Elizabethæ *27. decretum fuit; vt* Iesuitæ *omnes,* Seminarij Sacerdotes, *atque alij qualescunque, extra, aut intra Regni fines, post festum sancti Ioannis Baptistæ, primo eiusdem Reginæ regiminis anno creati, Romana aliqua authoritate deriuati, infrà quadragesimum diem Regno excederent.*

Item licitum non fore alicui Iesuitæ, Seminarij Sacerdoti, *aut alicui alij* Sacerdoti *superius memorato, Regni fines intrare, aut intra eos commorari. Et si contrarium faxit, tum talis culpà instar summæ proditionis iudicabitur, & ipse tales bonorum amißiones, & mortis pœnas patietur, quales in altæ proditionis reos statutæ sunt.*

Item si quis post quadragesimum elapsum diem, Iesuitam talem, aut Sacerdotem receperit, sustentauerit, solatus fuerit, is feloniam, id est, atrox scelus commisisse iudicabitur, & tale bonorum detrimentum, & mortis pœnas incurret, qualia in atrocis sceleris reos sunt statuta.

Item si quis, nec Iesuita, nec Sacerdos, Reginæ tamen subditus, sed in aliquo eorum Collegio educatus, nunc, aut tempore futuro, reuersus non sit infra sex menses à publicatione in Angliam, nec se Reginæ eiusq́; legibus submiserit, nec iuramentum Regni eius anno primo præscriptum præstiterit, sed alio modo reuersus sit sine ea submissione, is proditor iudicabitur, & plectetur amißione bonorum & vitæ, quæ in altæ proditionis reos est decreta.

Item si quis ex Reginæ subditis, elapsis iam dictis quadraginta diebus, quouis medio vltra mare quasuis pecunias, aliudue quoduis auxilium miserit Iesuitæ, Seminarij Presbytero, Diacono, Religiosæ, aut Ecclesiasticæ personæ, aut etiam ipsi Seminario aut collegio, talis infractor, omnium bonorum dispendium incurret, & perpetuis carceribus constringetur.

Item, si quis post lapsum iam dictum quadraginta dierum terminum, sciuerit Iesuitam aliquem, Seminarij Presbyterum, aut etiam alium quemuis ex memoratis in hoc Regno remanere, nec infra duodecimum diem id præcipuo ex magistratu indicauerit; talis delinquens, Reginæ arbitrio, mulcta, & captiuitate plectetur.

Item si quis ex magistratu, cui id erit indicatum, infra diem vigesimum

octauum id ad concilium Reginæ non detulerit, is pro vnaquaque tali culpa du- 444 aureos coronatos.
centarum marcarum mulctam sustinebit.

Item si quis, siue Presbyter, siue alius, quorum superius meminimus, reuersus in Regnum, Reginæ se & legibus eius Religionis ergo iam conditis, & ad huc condendis submiserit, ei ante decem post submissionem suam completos annos, intra decem miliaria ab eo, in quo Regina est loco, esse non licebit sine speciali eius licentia. Itaque nullum ex submissione sua beneficium consequetur. Sed tale incurret periculum, quasi nunquam se submisisset.

IN *Sessione Parlamenti Westmonasterij habiti decimo quinto die Februarij, anno Domini 1587. Regni verò* Elizabethæ *Reginæ vigesimo nono, decretum inter cætera fuit, vt omni diligentia, executioni mandarentur decreta, quæ anno 23. Regni eiusdem Reginæ publicata erant aduersus celebrantes, audientes aut frequentantes* Missas, *& vt diligentior fieret in terris aut bonis executio aduersus eos, qui templa sua non frequentarent, viginti scilicet* 66. aureos coronatos.
librarum in singulos menses.

Habes hîc, Christiane Lector, Protestantium Anglorum, reuera autem hæreticorum omnium, si rerum potirentur, nouas leges, & sanctiora decreta, quibus perfacile, quia veteribus non poterant, catholicos & pios quosque perduellionis crimine accersunt, & crudeliter ac perfidiosè irretiunt, cùm alterum necessarium sit, vel Christianum nō esse, vel in eas leges incurrere. Quod si maiores nostri ad vitam reuocati, istas sibi leges & pedicas proponi viderent, si omnes omnino totius vniuersitatis Christiani hæc vitæ, religionis, & actionum decreta acciperent, nonne & barbaras leges, sanctionesq; damnarent, & capitis damno, proditionis, maiestatisq; læsæ accusarentur? Ac fuit hoc consilium Anglię vexatoribus, suffocare primū vrbes & Angliam verbi Dei fame, deinde Ecclesias & agros vastare, pecuniis locupletum non abstinere, ferro & sanguine repugnantes & innoxios opprimere, tandemq; supremā inducere vastitatem. Quamobrem principio Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Ecclesiasticosq; quosuis ad carceres pædore, illuuie & inedia conficiendos damnarunt, vel calamitatis & pœnæ metu solum vertere coegerunt, vel certe fortunis omniq; solatio exutos in exilium egerunt, in eorūm domos, agros, prædia populabundi inuolantes. Deinde absentibus pastoribus, rabidi & rapaces lupi quidquid erat melioris pabuli & doctrinæ, corruptis & putrescētibus herbis obtrudere & perdere sunt conati. Cumq; (quæ Dei est prouidētia & bonitas) etiā aduersis in rebus cresceret, & erigeret se multorum constantia & virtus, confictis perduellionis & sanguinariis tabulis (vt quisquis

eorum errori & nequitiæ nõ deſeruiret, reus ageretur) tormẽtis, ſecuri, laqueis, corporũ ſectionibus, infinitiſq; propemodum cruciatibus, vitam extorſerunt. Verùm non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, eo enim ipſo tempore cùm ſęuiret impietas, creuit pietati iuncta religio, auctus eſt Catholicorum numerus, verè vt dici poſſet, Chriſtianorum ſanguinẽ ſeminarium Chriſtianorũ fuiſſe. Tantùm enim abeſt vt obtritis plantis marcuerint ſemina, vt etiam viuida magis, non herbas modò, ſed & flores, & vberrimos fructus produxerint. Atq; illud mirum magis, eorum qui vel decipiunt vel decipiuntur, liberos confertim relicta cognationis terra ad veram auitamq; fidem accurrere: vt ſcilicet ex ore infantium & lactentiũ laus perficiatur, & qui de veritate nihil intellexerunt, nati & in hæreſi enutriti, quærere tamen verbũ veritatis, quibus Societatis Ieſu ſcholæ replentur, & Romanũ ac Remenſe Pontificis ſtudio & liberalitate erecta, ſurgunt, & florent Anglorum ſeminaria, quę virtutum & doctrinæ prata dixeris, quorum fundamento firmiori ringuntur hæretici, quod ex iis tamquam aluearijs quibuſdam apes emittantur, quæ fucos arceant, & purioris doctrinæ mel inſtillent, quos nec procellæ, nec tempeſtates, nec vrens ventus fatigare poteſt. Sic enim ad pietatem ſunt inſtituti, ſic litteris informati, ſic armis inſtructi melioribus, quibus carneã illam molem cum Dauide in capite percuſſam deiiciant, vt nec fiduculis, nec ferro, nec flãmis à tã pulchra pugna arceãtur. Hi ſunt quos medio ſinu foues Anglia, facti tibi veritatis precones: hi ſunt qui vitæ diſpendio vitã tibi reſtituũt, quorũ ſanguine poſtes illiti, angelũ arcent exterminatorem. Quamobrem in eos ſæuit crudeliùs hæreticorum furor, in eos ſtatuuntur edicta & leges, eorum ſanguine inebriatur Babylon, ſed agant, machinentur, ſtatuant quæcunque velint hæretici; probari, & agitari poſſunt, frangi aut eradicari non poſſunt, ſtabunt quamdiu ſteterit veritas, & ſeipſis fortiores vitam & certam toti regno adferent ſalutem.

> *Hæc duo Anglicana Seminaria inſtituta fuerunt induſtriè ſollicitante D. Alano, qui nuper ob ſummã probitatẽ & doctrinã, creatus eſt S.R.E. Cardinalis.*

Ne tamen obſcuretur vel lateat tormẽtis & ſanguine parta Martyrum gloria, ſed in omnes orbis angulos diuulgetur, tabulis quibuſdã & adumbratis imaginibus, quoniam oculi pictura tenentur, mouentque fortius quæ oculis fidelibus, quam quæ auribus obiiciũtur, partem ſuppliciorum & carnificinæ complexi ſumus, ſic diſtinctis tabellis: vt *Hugonottarum in Gallia, Geuſiorum in Belgio, Proteſtantium in Anglia* crudelitatis ſpecies quaſdam referant. Vt enim tormentorum genera omnia pictura comprehendas, fieri nulla ratione poteſt, cùm & infinita ſint, & noua indies excogitentur, meritò vt indignari poſſint, ſi ab inferis excitentur *Nerones, Decij, Dio-*

cij, Diocletiani, Iuliani, Genserici, Hunerici, Ziscæ omnes, inuentos fuisse Christianos (si tamen Christianos nuda facit ablutio) qui in suum sanguinem inauditis tormentis, vel sæuirent crudeliùs, vel furerent inhumaniùs. Et quamuis hæresim blandè primum sese insinuantem semper comitetur tyrannis, quemadmodum decursis omnium ætatum & temporum heresibus clarum est & apertum: videbitis tamen sanctissimæ Ecclesiæ instauratores & renouatores, fuerintne aliquãdo hæretici, qui laxatis tyrannidi frenis vel templa ac loca sacratiora demoliti sint acerbius, vel in diuos, diuorumque imagines incensi sint furiosius, vel in Sacerdotes & Religiosos inuecti sint acrius, vel in sacras virgines incitati sint petulantius, vel in bonos quosque seuierint imperiosius. Agnoscet etiam quisquis has tabellas contemplabitur, Ecclesiam numquam maiorem pestem sensisse, numquam grauiorem passam ruinam, nunquam funestiorem expertam calamitatem, quàm cum Caluini & Bezæ soboles ex Gebennæ (gehennam dixeris) antro erumpentes deformationem specioso prætextu verè deplorandam instituerunt. Quarum ego hunc velim esse fructum, vt ad laudandum in Martyribus Deum, & detestanda hæreticorum dogmata vel imperia boni omnes excitentur. Ipsi verò hæretici visa veluti in speculo actionum suarum deformitate, condemnataq; tanti temporis, & crudelitatis tyrannide, ad mentem, fidemque saniorem reuertantur, neque suos obiiciant Martyres, quos non religio sed impietas, non innocentia sed crimen, non doctrina sed error, non constantia sed pertinacia antiquissimis Imperatorum legibus condemnauit. Vulgare illud, Martyrem facit non pœna sed causa. Certum etiam est, Ecclesiæ grauius nihil accidere posse, quàm cum spreta alia medicina in perniciosas Reipublicæ Christianæ pestes sanguine cogitur animaduertere.

Dominus Iesus Christus, verus Ecclesiæ Catholicæ sponsus, qui vt sponsam consecraret, sanguinem suum profudit; vt sapientissimè gubernaret, spiritum suum misit, pro immensa in omne genus humanum benignitate, Catholicis robur & constantiam, hæreticis religionem & mentem, omnibus charitatem & pacem sempiternam largiatur.

Ἡ τῷ θεῷ δόξα.

IN THEATRVM
HÆRETICÆ CRVDELITATIS
PROLOGVS.

QVISQVIS *in hoc venies cupiens ſpectare theatrum,*
Fac animum prius indures, & lumina conſtent
Obfirmata ſibi, ne te ſpectacula noſtri
Offendant gregis attonitum, nec torqueat horror
Inſolitus, non viſa prius portenta tuendo.
Non riſus aliqua mentes nouitate morari
Actores, comptosque ſales non pulpita ſpondent
Noſtra, Bioneo nec agetur fabula ſocco:
Non Pelopis genus infidum, non fata, trucesque
Labdacidas orcheſtra dabit, non funeris ignes
Ogygij malè concordes, nec dira querentem
Hoſpitia, vltricemque ſui Ciſſeïda nati:
Sed virtutis opus referet, magnumque loquetur
Scena, Sophocleum ſuperans grauitate cothurnum.
Per cædes, tormenta, cruces, per vincula, flammas
In cælum ſternetur iter, quo ſemita ducit
Ardua, ſanguineique terunt veſtigia paſſus.
Sic opifex rerum numero quos legit ab omni,
Diſcipulos Deus exercet, fingitque ſeueri
More patris, qui dilectos non lenis alumnos
Educat, aſſuetosque malis indurat, & illo
Se dignos facit exemplo, regnique nepotes,
Erudit aduerſis primum, quos deſtinat aſtris.
Negligit at vernas herus, indulgetque, ſinitque
Laſciuire, bonisque manus inferre cruentas,
Et fieri æternæ ſeruos poſt funera pœnæ.

Sed

Sed natos pater hæredes ſibi præparat acri
Edoctos ſtudio, magnóque labore quietem
Conciliat, vitam læto, pro ſanguine palmam
Gratus, & immerita reddit pro cæde triumphum.
Talibus Athletis cauea certabitur iſta
Spectator, quibus aduerſis pugnare voluptas,
Supplicium ceſſare malis, qui corpore vires
Explorant animi, ſupremáque fata luendo
Vexati, cæſíque ſuos graßantur in hoſtes
Obſequio, multíſque ſimul concurrere gaudent:
Indociles ceßiſſe loco virtutis, in vnum
Vis coniurati quamuis caput irruat orbis.
Nec cedit ſi fortè cadat conſtantia, pugnat
Nixa genu, læuáque manu, ſi dextera deſit,
Res geritur, ſempérque nouas patientia vires
Suggerit, hoſtiléſque dolos animoſa laceßit;
Caſtigátque moras pœnarum, & verbera dictis
Inuitat, callúmque graues obducit ad ictus.
Hos pugiles cælo pater, hæc certamina luſtrat
Omnipotens, animóque ſuos gaudente tuetur
Ærumnas fidei pro nomine ferre clientes.
Nos ſi mente feram iuuenis conſtante ruentem
Excipit, intrepida ſtringens venabula dextra,
Gratamur, vulgóque fremit plaudente theatrum:
At tantò magis oblectant ſpectacula, quantò
Dignior, aut populo ſit commendatior omni
Ille, Cleoneo qui non timet ire Leoni
Obuius, at media frendenti occurſat arena.
Hic aliud pugnæ genus, & conſtantia maior,
Maioréſque doli, maiora pericula, maius
Momentum, ſuperánſque feras immanior omnes

Hæresis; hæc veteris deserto tramite legis
In mores alios iter & vestigia flectit,
Errorísque viam sequitur, dum prodiga lucis
Præcipiti cæcis anfractu illabitur vmbris.
Tum rationis inops furit, & caligine densa
Implicitam nequit in melius conuertere mentem.
Hinc tenebras amat, & lucem quam perdidit, odit
Impietas; non illa sacris, non illa profanis
Abstinet, euerso confundere nubila mundo
Nititur, errorísque viam strauisse ruina.
Hæc Marti dedit ipsa faces, hæc cladibus orbem
Imbuit, hæc sæcli funesta tragœdia nostri.
Hæc fera per caueam spectacula tristia nostram
Edet, & humanum bibet insatiata cruorem,
Hyrcanásque furens superabit bellua tigres.
Huic adeò informi se præstantissima monstro
Obijciunt, non mole pari, sed corpora mente
Impauida, quorum meritis benè conscia virtus,
Et pietas totum radijs illuminat orbem.
Et Regina decus fidei, pro fœdere sacro
Hospitij, laceranda lupæ proiecta rapaci,
Scotica cælesti permutat sceptra corona.

Auctore I. B. S.

CENSVRA IN NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS.

Fœda LVTHERANOS *tentat plerumq; voluptas,*
Libertásque vagos illecebrosa capit.

*M*ENNONIIS *studio est, incautum fallere vulgus,*
Plebíque ambiguis imposuisse dolis.

Quem rabies agitat CALVINI, *corpora mactat,*
Quorum animas fucis illaqueare nequit.

J. G.

Multi Pseudoprophetæ surgent, ac seducent multos. *Matth. 24.*

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth. 7.*

Ex nobis egressi sunt. 1. *Ioh. 2.*

ORIGO, CONTINVATIO, ET SVCCESSVS RELIGIONIS CATHOLICÆ, ET HÆRESEON EFFECTA.

CATHOLICA, Apoſtolica & Romana Eccleſia, iam inde à Chriſti Seruatoris noſtri in cælos aſcenſione annos plus mille & quingentos inuiolata perſeuerauit, continuaque ac legitima Paſtorum, D. Petri ſucceſſorum, auctoritate eandem Fidei & Religionis puritatem atque integritatem conſtanter retinuit & conſeruauit.

Quo quidem temporum interuallo multæ variæque paſſim hæreſes à perfidis Eccleſiæ deſertoribus excogitatæ, & in orbem inuectæ ſunt: quæ tametſi Eccleſiam grauiſſimis perſecutionibus presſerint & oppugnarint, omnes tamen confutatæ, cumque ſuis auctoribus extinctæ ſunt.

Noſtro verò ſæculo non ita pridem Martinus Lutherus (qui & ipſe turpiter ab Eccleſia Catholica defecit) nouum quoddam, & veteribus inauditum hæreſeos genus commentus eſt, ex quo innumerabiles poſtea deprauatarum opinionum ſectæ, & ab ipſo Luthero & inter ſe diſſentientes, emanarunt: inter quas omnium deterrima, maximeque deteſtabilis Caluini ſecta, noſtra hac tempeſtate infinitas Chriſtianorum animas in tartara præcipitauit, multas corporum chiliades interfecit, plurimarum Chriſtianiſmi ditionum perturbationem, ac totius pænè orbis vaſtitatem induxit.

CRVDELITATVM
ET

IMMANITATVM SCISMATICORVM ANGLIÆ,

REGNANTE HENRICO EIVS NOMINIS OCTAVO, PECVLIARIS quædam & per particulas deſcriptio.

Domine, Prophetas tuos occiderunt, Altaria tua ſuffoderunt. Rom. 11.

Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli: Carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Pſal. 78.

IN VLTIMA hac rebellione, & à filio Dei eiusque Ecclesia Catholica defectione, quę à Martino Luthero Augustiniani instituti Monacho apostata in Saxonia Germaniæ Prouincia exorsa, & Germaniam Aquilonemque penè omnem peruagata; deinde verò à Ioanne Caluino ortu Picardo (ea est Galliæ Belgicæ Prouincia) religione transfuga, propagata, tandem ab horum, maximè verò Caluini sectatoribus & administris omni inhumanitate, crudelitate, ac sanguinis innocentis effusione continuata est & producta; facilè iudicari potest quod fuerit semper hæreticorum in Dominum nostrum Iesum Christum & sanctam eius Ecclesiam odium; præsertim si cum his consideretur barbaries & immanitas ministrorum & satellitum satanæ, primiq; ab iis producti fructus, in expilandis, excidendis funditusque euertendis monasteriis, alijsq; locis piis & sacratioribus, à Christianis maioribus nostris ad Deum inuocandum illiq; sacrificandum, atque alia religionis exercitia peragenda erectis, deuotis, & constitutis.

Quamuis autem Henricus Angliæ Rex eius nominis octauus nec Lutheri nec Caluini hæresibus aut sectis adhæserit, nihilominus tamen ijsdem penè quibus & illi causis ab Ecclesia Catholica secessione quadã se substraxit, incitatus scilicet ad temerè & effrenatè potiundum indomitis & voluptatis auidis libidinibus, ac malitia & vitiositate impulsus, quibus veluti furiis in præceps actus, monasteriorum, templorum & locorum sacratiorum decem millia euoluto vix anno demolitus est, & ad centum mille religiosas ac Deo deuotas vtriusque sexus personas nulla voti & sanctioris promissi cura, reiecto habitu, ab ordine & religionis instituto abstraxit, & mundi voluptatisque illecebris irretijt. Quod quidam breui hoc disticho complexus est:

Millia dena vnus templorum sustulit annus,
Quam timeo in pœnas vix satis vnus erit.

Idem spiritus & animi impotentis effrenatio tempore succedente furiosos & rebelles Caluini aliorumque farinæ eiusdem discipulos, direxit, & ad similes actus incitauit, violatis ac direptis templis & religiosis locis, effractis Diuorum statuis & imaginibus, &c. non in Germania & Anglia modò, sed & Gallia, Scotia, Hybernia, Belgia, locisque aliis, facto tam posteris lamentabili, quàm viuentibus miserabili & calamitoso.

PRI-

PRIMI
Noui Euangelij fructus.



REGIVS euersas vates à gentibus aras
Fleuit Idumaeas: sed quis penetralia diuûm
Sacrilega vastata manu, templique ruinas,
Congeriémque sacram nostri non defleat aeui:
Quis sanctos adytis ipsos efferre nepotes
Christiadûm, Christi non indignetur honores?

HENRICVS Rex necdum ſaturata & expleta tam execrando ac deteſtabili ſacrilegio, inuidentia, iuſiurando adigere conatus eſt præcipuas quaſque, & in honoris ac dignitatis gradu conſtitutas perſonas, ſe vt verum & ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput recognoſcerent. Quod prudentiores, doctiores, conſtantiores ac optimi quique Regni ſapienter & conſideratè recuſarunt, ac æmulatione quadam religioſa Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & legitimi vicarij ac ſucceſſoris ſancti Petri ius & auctoritatem tutati ſunt.

Quam ob cauſſam morti adiudicata ſunt præcipua duo Angliæ lu-
A minaria, Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, grauiſſimo Purpurato-
rum ſeu Cardinalium Collegio ob miram pietatem adſcriptus: & Tho-
B mas Morus Equeſtris ordinis, paulo antè regni totius Cancellarius. quorum ille Cleri & Eccleſiaſtici ſtatus; hic nobilitatis & tertij ordinis lumen erat quoddam.

Atque vt vtrique ſexui ſtabilitatis & conſtantiæ, religionis, ac pieta-
C tis, relinqueretur exemplum, Sariſburienſis Comes Cardinalis Poli mater, vt ſuperiores, capite plexa eſt, quod veritati teſtimonium dediſſet.

Schiſ-

Schiſmaticorum in Anglia crudelitas.



Nullus honos patriæ datur in tellure Prophetis,
Teſte Deo, ſed quale nefas & dedecus vrbi
In claros pietate viros quæ parcere ferro
Neſcit, at in proprios crudelis ſæuit alumnos?
Nec iugulo furor inſonti nec vertice ſacro
Abſtinet, externas celebrem qui fecit in oras.

OB EAM ipſam cauſſam & libertatis Eccleſiæ Catholicæ defenſionem Carthuſiani, religioſiſſimum hominum genus, eandem capitis ſententiam martyriumque ſubierunt, ſed variis & ſibi ſuccedentibus eius Regis imperio tormentis.

Nam poſtquam miſerabiliter in carceres & vincula coniecti, diuerſis quæſtionibus & equuleis crudeliter torti fuiſſent,
A tandem morti adiudicati, proſtrati & reſupini vimineis cratibus, ad locum ſupplicij tracti ſunt, ac patibulo appenſi, præ-
B ciſis laqueis ſemiuiui in terram abiecti, attractiſque ad arden-
C tem rogum, pudendæ partes reſectæ, diuiſi ventres, palpitantia adhuc viſcera in ignem iniecta, & flammis abſumpta, tandem amputatis capitibus in quatuor partes diſſecti.

Schiſmaticorum in Anglia crudelitas.



Nec vos innocuæ defendit regula vitæ,
Nec culpa caruiſſe ſat eſt, votíſque ſaluti
Humanæ inuigilaſſe iuuat, ſed veſtra, ſodales,
Corpora, quæ ſpreto exercent ieiunia mundo
Carnifices ſenſêre manus: cùm crimina deſint,
Vertitur in vitium pietas, reddítque nocentes.

A F. Ioannes Foreſtius, inſtituto Franciſcanus, haud multò antè Regi Henrico à ſecreta confeſſione, non longè à Londinenſi vrbe cruci iniectus eſt, & cum imagine Sancti Dauidis aduſtus, quòd iniquè vſurpatam ſupremæ auctorita-
B tis poteſtatem non approbaſſet, & Eccleſiaſticam libertatem ſeuerè defendiſſet.

C Plurimi omni reuerentia & obſeruantia digni Abbates & Cœnobiarchæ eadem ex cauſa varijs in regni locis ſtrangulati, euiſcerati, & in quatuor partes diuiſi ſunt.

D Multi venerandi Eccleſiarum Præſides, pœnas eaſdem non alia occaſione perpeſſi.

Schiſmaticorum in Anglia crudelitas.



Ille vir ad dominam quem Corduba miſerat vrbem
Vt daret ingrato vitæ præcepta Neroni,
Præmia pro meritis indigna morte recepit:
Sic quoque depoſitum qui mentis, & intima regis
Viſcera ſcrutator pius obſeruabat, eodem
More, ſub ingrato pœnas dedit ille Britanno.

RELIGIOSORVM SACERDOTVM ET LAICORVM NOMINA, QVI PRO *defensione Primatus Romanæ Ecclesiæ per martyrium consumpti sunt,*

Sub HENRICO 8. Angliæ Rege.

Anno Domini 1535. 37. 38. 39. 41. 43.

SACERDOTES.

Joannes Roffensis Cardinalis.
Abbas Barlinghensis.
Abbas Colcestrensis.
Abbas Fontanensis.
Abbas Glastenburiensis.
Abbas Geruiensis.
Abbas Riueriensis.
Abbas Redingensis.
Abbas Sauliensis.
Abbas Whaliensis.
Eduardus Bochingus.
Joannes Deringus.
Hugo Richeus.
Richardus Masterus.
Henricus Goldus.
Robertus Laurentius, Prior Carthusianus.
Augustinus Webstérus, Prior Carthusianus.
Laurentius Cochus, Prior Dancastrensis monasterij, & tres monachi cum illo eadem de causa.
Joannes Maierus.
D. Reginaldus.
Haylus Presbyter.
Joannes Rochesterus.
Humfredus Middlemorus, Gulielmus Exmeus, Sebastianus Nudigatus — *Carthusiani.*
Jacobus Waruerus.
Richardus Berus.
Thomas Greneus.
Joannes Dauis.
Thomas Jonsonus.
Gulielmus Grenuodus.
Thomas Scriuanus.
Robertus Salteus.
Gualterus Personus.
Thomas Redingus.
Gulielmus Hornus.
Gulielmus Onionus.
Joannes Ruggus.
Rector Parochiæ Wandesuorti.
Antonius Borbeus.
Thomas Belchiamus.
Thomas Cortus.
32. alij Franciscani in varios carceres coniecti, vbi mortui sunt.
F. Joannes Forestus.
Thomas Abellus.
Edouardus Pouellus.
Richardus Fetherstonus.
D. Larcus.
Joannes Jrelandus.
Duo Sacerdotes quorum nomina nō extant.

LAICI.

Thomas Morus antè Cancellarius regni.
Margarita Comitissa Sarisburiensis.
Ægidius Heronus.
Clemens Philpottus.
Germanus Gardinerus.
Gulielmus Ashbeus.

HOR-

HORRIBILIA QVÆDAM CRVDELITATIS FACINORA IN GALLIIS ADVERSVS CATHOLICOS PERFECTA AB HIS QVOS VVLGVS HVGVENOTOS

vocat, ab eo tempore quo primum Regi rebellarunt. Anno 1562.

Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas : quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.

Ezech. 2.

CIVITAS *Engolisma* obsidione Huguenotorum arctata, tandem certo fœdere in eorum manus dedita fuit, ea scilicet sub conditione promissa & iuramento firmata, vt Catholicis tam Ecclesiasticis quàm aliis, securè ibidem liceret commorari, sine molestia aut inquisitione aliqua: Hæretici nihilominus spreta sollennis iurisiurandi religione, quàm primùm ciuitatem eam intrauere, Catholicos quosdam seligere, & carceribus mancipare cœpere. A Quos inter frater Michaël Grellet, Ordinis D. Francisci, & præpositus monasterij eiusdem Ordinis in eadem ciuitate siti fuit, qui die postero laqueo ex arbore suspensus & suffocatus est, præsente & inspiciente id Gasparo de Colligni, in Gallia tum temporis maris præfecto, quem Admiralium vocant, rebellium Duce; quem etiam, mortem constantissimè ferens, ruinæ præmonuit. Denique quum Martyr ille, vt strangularetur, scalis deijceretur, tota ea impia cohors per tres vices, *Viuat Euangelium* exclamauit.

B Frater Ioannes Viroleau, eiusdem monasterij lector, per eosdem inhumanè occisus est, præcisis prius pudendis.

C Frater Iohannes Auril, vir octogenarius ab ijsdem capite bipenni diuiso, in latrinas proiectus est.

D Frater Petrus Bonneau, Theologiæ Doctor, menses continuos octo carcere detentus miserrimè, circa ciuitatis mœnia ex arbore suspensus & strangulatus est.

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Fœlices animæ, quorum per funera Chriſti
Creſcit Euangelium! veſter pro ſemine ſacro
Eſt cruor, ille pijs inoleſcit mentibus vltrò.
Vt quanto magis innocui profunditur vſquam
Sanguinis, hoc vernat magis, augeſcitq; premendo
Sancta fides, viréſque nouas calcata reſumit.


30. martyres. AEDIBVS ciuis cuiuſdam eiuſdem ciuitatis *Engoliſmæ*, nomine Papin, incluſerant Catholicos triginta, quos morte mulctarunt, ſed tribus diuerſis crudelium tormentorum generibus, quæ adinuenerant.

A Primò etenim eorum quoſdam binos colligarunt, quos ſublata omni viuendi alimonia languere coëgerunt, vt extrema famis rabies impelleret ad ſe mutuò diſcerpendum & deuorandum, atque eo modo non ſine languore extremo fame perierunt.

B Quoſdam deinde funibus ſummè extenſis iniecerunt, vt hoc modo medios diſſecarent, atque eo pluſquam barbarico tormento eoſdem trucidarunt.

C Tandem aliquos ſtipitibus alligarunt modicum à tergo ignem accendentes, vt longo tormento paulatim arderent & igne lento conſumerentur.

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Non rota, non vultur, non ſaxum, aut Belidos vrna,
Non ſitis inter aquas tantum metuenda, nec vmbræ
Pallentes Erebi, quantum fœcunda nocendi
Ingenia, auctoréque noui, celebréſque magiſtri
Pœnarum, quibus exercent corpuſcula, quorum
Tramite de recto nequeunt auertere mentes.

HVGVENOTI Præsidiarij, qui vrbem *Monsbrunum* armis tuebantur, honestam quandam & virtute præditam dominam Marendati, non longè ab ea ciuitate agentem, sæpe inuisebant, illa, vt erat humana & comis admodum, eos qua poterat, ciuilitate receptabat, tractabatque liberaliter, vt hoc officio demulceret, ne sibi vel subiectis essent molesti.

A Ast Barbari illi omni modestia & humanitate reiecta, die quodam, sumpta cum eadem cœna, eandem apprehēderunt, & sursum in cubiculum compulerunt, vbi accenso igne, candentibus laminis ferreis optimæ hospitis plantas adusserunt, versa deinde laminarum in tibias eius acie pellem ligularum instar auulserunt. Atque eam tali tormentorum acerbitate vexatam deserentes spoliatis ædibus discesserunt.

B Magister Iohannes Arnoldus, generalis Regis vicarius, Engolismæ in administratione iustitiæ ex eorum fuit numero, quos occupata ciuitate captos fuisse supra memorauimus. Probus iste iudex post varias membrorum mutilationes & miserias, tandem inhumaniter in domo propria strangulatus est.

C Capta fuit & vidua quondam vicarij criminalis eiusdem ciuitatis, sexagenaria, fœmina venerabilis: quam crinibus ligno intortis alligatam, crudeliter admodum per plateas traxere.

Horri-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Egregiam verò laudem, qui vincitis hoſtes
Et ſenio & ſexu ſine viribus, ite, triumphum
Ducite, fœminea ſi qua eſt victoria pœna.
An quocunque ſitim manans de vulnere ſanguis
Et rabiem ſedare poteſt, tantúmque bidentes
Cæde feram ſatiant auidam quam mole iuuenci?

A IN Parœchia Chaſſenouili vicina Engoliſmæ Presbyterum quendam Ludouicum Fayard nomine, virum teſtimonio habitatorum eiuſdem loci, optimæ & exemplaris vitæ apprehenderunt, cuius manus aheno oleo bullienti pleno tam ſæpè & diutinè immerſerunt, quouſque auulſa ab oſſibus caro exciderit, nec crudeli eo ſatiati tormento infuderunt ori eiuſdem bulliens iſtud oleum: & quum nondum mortuum viderent hunc martyrem, ſclopetis traiecerunt.

B Cœperunt & alium presbyterum, D. Colinum Guillebaut nominatum, vicarium Diui Auzanni, quem abſectis pudendis ciſtæ perforatæ incluſere, deinde tantam bullientis olei vim ei ſuperinfudere, vt animam his tormentis victus exhalaret.

C In Parœchia vulgò appellata Riuieres, alium quendam comprehenderunt, cui adhuc viuo linguam mento perforato euulſerunt, deinde trucidarunt: ſimiliter & alium, cui nomen Magiſter Iohannes Bachellon de Lanville, excoriatis candenti ferro pedibus iugularunt.

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Paſtorem lupus aggreditur, quo tutiùs omnes
Diripiat prædator oues cuſtode remoto:
Sic caput inuadit primùm, rerúmque magiſtros
Impietas, facili tum cætera membra labore
Expugnat, legíſque ſacræ monitoribus orbat,
Spargat vt incautæ furtim mendacia plebi.

MAGISTER Simon Sicot vicarius D. Hilarij Montierienſis, ſexagenarius, vir omni virtute refertus, ab eo, quem fidum ſibi crediderat proditus, captiuus Engoliſmam tractus eſt, coactuſque ingenti pecunia vitam redimere, non ſine
A magna difficultate impoſitam mulctam exſoluit, redeunti & in libertatem, vt putabat, reſtituto, emiſſus perditorum quiſpiam per portam D. Petri qui conſequeretur, occurrit, qui apprehenſo tanquam carnifex oculos eruit, & linguam ſub mento euulſit.

B Magiſter Guilielmus de Bricailles & alter quidam presbyter ab inhumanis iſtis capti, in penuario vno tantùm pede ſuſpenſi ſunt, & vt maiori cruciatu vitam traherent, datus eſt cibus quouſque alter eorum vitam cum morte commutaret, deinde & alter obtruncatus eſt.

C Apprehenderant & alium quendam presbyterum ex parœcia Beauliuienſi, magiſtrum Petrum, quem viuum capite tenus defoderunt.

D Magiſter Arnoldus Durandeau, vicarius Fleacenſis, octogenarius, ab ijſdem iugulatus, in fluuium proiectus eſt.

E Franciſcanus item quidam ætatis eiuſdem, poſt multas acceptas contumelias & iniurias, ex muris ciuitatis viuus præcipitatus eſt.

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Non ſatis eſt tormenta pati pro nomine Chriſti,
Non audita prius: longis cruciatibus inſtant
Exercéntque fidem, nec mortem numinis hoſtes
Accelerant: trahitur mora, crudeſcítque fouendo
Supplicium, alternántque vices, ac lumina gaudent
Effera tortores recidiuo paſcere leto.

MAGISTER Octauianus Ronier, sancti Cybardi vicarius, in immites tyrannorum manus incidit: huius post
A illata varia tormentorum & contumeliarum genera, plantis equi calces ferreos clauis appresserunt, denique arbori alligatum sclopetis traiecerunt.

B Magister Franciscus Raboteau, in Parœcia Foucquebrunensi vicarius, similiter captus adiunctus est & alligatus bobus plaustrum trahentibus: atque tot & tam grauibus stimulis adactus, & flagellis cæsus, vt inter ea tormenta tandem exspiraret.

C Ingentem numerum tormentis bellicis interfecerunt. Quos inter, iubente militum Pręfecto Piles, fuere Philippus à Monte, Chirurgus, & Nicolaus Guiueus, pannorum venditor, qui arboribus alligati & constantissimè Iesum Christum Dominum nostrum confessi iuxta doctrinam sanctam quam ab Ecclesia Catholica receperant, telis confixi interierunt: Ita vt in Diœcesi Engolesmiensi vix dum exacto biennij spatio martyrio ob professionem fidei Catholicæ coronatæ sint, vtriusque sexus
120. martyres. personæ vltra centum viginti, Presbyteri, nobiles, fœminæ illustres, & alterius qualitatis ac status.

Hor-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Effigiem genus humanum cùm fingeret oris
Ipſe ſui Deus expreſſit, qua turpiter audet
Impius ad quoduis ſpecimen feritatis abuti:
Seruitióque homines brutis animantibus æquat
Innocuos, addítque nouis alimenta dolori
Pœnarum inuentis, & faſtu inſultat amaro.

IN vrbe Houdan, Diœcesis Carnutensis, hæretici correptum Sacerdotem, & in templum quoddam pertractum, diuinum
A celebrare Missæ sacrificium compulerunt, non aliam ob causam, quàm vt subsannarent. Inter celebrandum celebrantis faciem pugnis percutiunt armatis, & pugionibus reliquas corporis partes perfodiunt: perseuerabat martyr facie & corpore sanguinolentis, incepto sacrificio, quousque ad communionem ventum est, tum è manibus pretiosissimum Domini nostri corpus rapiunt, & in terram proiectum pedibus conculcant. Idem fit de calice sanguinem sacratissimum continente,
B ipsum deinde Sacerdotem cruci affigunt, & sclopetis interimunt. Ita euenit, vt qui Deo Opt. Maximo sacrificium iuxta legem præscriptam offerebat, ipsemet sacrificium Deo acceptabile in testimonium fidelitatis fieret.

In vico qui Floran vocatur, non admodum distante à sanctæ Menehoudæ, cohortes Bethunei Præfecti, arreptum Pres-
C byterum iniurijs & contumelijs varijs affecerunt, crudelibus discerpserunt flagellis. Deinde earum cohortium Chyrurgus
D eidem pudendis amputatis mortem inflixit, & is inhumanus
17. martyres. carnifex identidem iactitabat hunc fuisse decimum septimum, quem eo modo interemerat.

Horri-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Non celare poteſt odium quod pectore verſat
Impius, ingeniúmque ſuo ſe prodit vbique
Indicio, Chriſtum petit inſidiator, & eius
Iudæo de more gregem, præſentia quem non
Numinis, aut ſanctæ reuerentia terruit aræ,
Victima quum ſuffixa cruci fuit ipſe ſacerdos.

A APVD Clerium vrbem, poſt templum vaſtatum, & ſpoliatum omnibus pretioſioribus tam Sanctorum reliquiis, quàm alijs rebus pluribus diuino cultui dicatis, Ludouici Galliarum quondam regis eius nominis vndecimi, ſepulchrum effregerunt, & oſſa eiuſdem (tanquam ſublaturi eum ex hominum memoria) combuſſerunt, ſed nec alibi Prædeceſſoribus Nauarræi Regis Imperatoris ſui pepercere (tanta efferuntur inhumanitate.) neq. etiam ſepulchro Ioannis Comitis Engoleſmienſis, dum in viuis ageret, inculpatiſſimę & ſanctiſſimæ vitæ.

25. martyres. B In vico quodam nomine Pat, qui circiter ſex ſeptémue miliaria diſtat ab Aurelia, viginti & quinque Catholici, quos furibundi iſti inſequebantur, quum non pateret alius refugij locus, in templum ſe, tanquam in azylum contulerant, hos inter & pueri nonnulli ſe, vt ſeruarentur, in campanile proripuerant. At quum ab hoſtibus immiſſæ faces & flammæ templum abſumerent, miſeri illi, cogente igne vicino, & fumo, quo ſuffocabantur, in terram præcipites ſe dederunt, vbi belluarum iſtarum immaniſſimarum vnguibus illapſi, ab ijſdem in ignem proiecti ſunt, atque eo modo abſumpti.

C Sacerdotes plurimos capiſtris equinis alligatos caudis, raptarunt.

Hor-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Non ſacri cineres vrna, non oſſa ſepulcris
Tuta ſuis, mutiſque furor non abſtinet vmbris:
Funera quin proprijs (at quæ tam barbara gentem
Produxit regio?) ſupremum & mortis honorem
Regibus inuidit, multos & humata per annos
Corpora pollutas ſanie diſperſit in auras.

APVD

A APVD Diui Macarij in Vaſconia Presbyterorum ventres ferro diſſecuerunt, & eorum inteſtina paulatim baculis circumuoluta euulſerunt.

B C *Multi martyres.* Eodem in loco Sacerdotes plurimos defoderunt viuos, & Catholicorum liberos gladijs minutatim conciderunt.

D In vrbe Mancina capto Sacerdoti admodum grandæuo amputarunt pudenda, atque igne toſta in os ingeſſerunt, & vt viderent quo modo ea digereret, viuenti ventriculum diffiderunt, atque ita interemerunt.

Horri-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Supplicij genus inſolitum delectat acerbos
Tormenti artifices, nihil inclementia pœnæ
Linquit inexpertum, laniatáque funere longo
Viſcera crudeles explent dulcedine mentes,
Nec leti repetunt genus vt faſtidia tollant
Cædis, & in varias ſatiantur lumina mortes.

QVA tempestate Franciscus Cassius in vrbe Vasatum in Vasconia vices regis Nauarræ gerebat, milites eius duo A vi stupratæ viduæ & resupinatæ verendas partes puluere tormentario replerunt, quamobrem admoto igne disruptus venter & diffusa viscera sunt, atque in eo cruciatu innocentem Deo reddidit spiritum.

B Dominus sanctæ Columbæ, Præfectus Gohas, & magnus nobilium numerus se fœdere inito dediderant Comiti Montgommeriensi, à quo obsidebantur. Ab eo carceribus detenti sunt continuos nouem menses, hoc tempore peracto, quum se persoluto redemptionis pretio liberandos putarent: idem ille Comes ad cœnam adhibuit eosdem, & vt tum aiebat, tanquam amicos tractabat, sed illis discedentibus, milites in eorum cubiculis occultari iussit, qui intempestiua nocte contra fidem iuratam, omnes interemerunt.

C In vrbe Montbrisentina, Adreti Baro plurimos Catholicos ex fastigio turris altissimæ præcipitari iussit, & ne quis effugeret, milites eius imperio præcipitatos lancearum acie excipiebant.

Multi martyres.

Hor-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Obijce criminibus tenebras, tamen arbiter ille
Summus ab excelſo qui deſpicit omnia cœlo,
Non impunè ſinet: nam vox inſontis ad illum
Sanguinis obſcuras tranſcendit, proditor, vmbras:
Infandúmque nefas, & atrox iniuria ſexus
Fœminei caſtas penetrauit iudicis aures.

A IMPVDENTIA & barbaries Huguenoti cuiusdam tanta fuit, vt ex abſectis presbyterorum auriculis, torquem ſibi conficeret, & eo tanquam facto ſtrenuo coram primarijs exercitus gloriaretur.

B Pluribus Sacerdotibus Deo miniſtrantibus, nares & auriculas amputarunt, & oculos eruerunt.

C Presbyteri cuiuſdam, vt erat viuus, ventrem ferro aperuere, & impoſita auena præſepe & pabulum equis ſuis præbuere.

D *Multi martyres.* Hæretici ciuitatis Nemauſi, in Languedoca ſitæ, ingentem Catholicorum numerum pugionibus trucidarunt, & ſemimortuos in eiuſdem vrbis puteo largo admodum & profundo ſubmerſerunt, & duabus vicibus eundem complerunt,

Horri-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Thracia Biſtonij ſtabulo portenta tyranni
Non vidit tam multa truci, quot noſtra tulerunt
Sæcula, quum magnis animam cruciatibus orbi
Non ſatis eripuiſſe fuit, ſæuitur in ipſum
Funus, & exanguem faciunt præſepia truncum,
Turpe miniſterium, & pluſquam monſtroſa tyrannis.

IACOBVS Sorius inter piratas admodum celebris ob crudelitatem insignem, iactabat se Admiralium Nauarræ, authoritate accepta à Iohanna d'Albret regina eiusdem regni: is versus Maderæ & Canariæ insulas nauigans, nauem quandam Lusitanam Americam versus tendentem, detexit: hanc vt insequutus attigit, inuasit, & in ea quadraginta religiosos Societatis nominis Iesu deprehendit, qui ad Prouinciam Bresiliensem annuntiatum Euangelium gentilibus illis populis pergebant. Ille igitur ira furens & æstuans in sanguinem innocentem, sanctam eam cohortem & necauit, & necari iussit, & in mare abijci, quosdam eorum ex ictibus pugionum semimortuos, quosdam resectis brachiis, quosdam quibus disrupto thorace cor erat ablatum. Ex felici turba hac Pater Ignatius ductor primarius post patienter latas iniurias, & crudelitatis vulnera à barbaris istis tygribus perpessa, itidem in mare deturbatur, complexus brachijs quandam diuæ Virginis Matris Saluatoris nostri imaginem, quam tanta retinuerat vi, vt nullo conatu ab ipso auelli potuerit: atque eo modo obrutus vndis beatum Deo cum commilitonibus suis reddidit spiritum: fuere & eorum furore, sub vndis sepultæ, plurimæ sanctorum reliquiæ, & sacra ornamenta, quæ secum ferebant.

40. martyres.

A

Hor-

Horribilia ſcelera ab Huguenotis in Gallijs perpetrata.



Nec terris ſolum graſſatur, at inuia reddit
Aequora, conſcenſáque furit ſæuißima claſſe
Impietas, fluctúsque ſacro ſcelerata cruore
Inficit, externis Chriſtum vt procul arceat oris.
Scilicet vt genio quæ negligit ipſa nefando
Per cædes adimat populis ea dona remotis.

Anno

ANNO 1567. in monasterio Carthusiensi, quod Bourfontaine nominant, in Diocœsi Suessionensi sito, tres monachi sacerdotes, & laici fratres duo ab hæreticis, qui ad spoliandum dictum monasterium irruperant, interempti sunt, quorum nomina sequuntur.

Venerabilis Pater Dominus Iohannes Motot procuratorum vnus, qui sclopeto ictus Deo animam reddidit.

Venerabilis Pater Dominus Iohannes Meguen, itidem sclopeto interemptus.

Venerabilis Pater Dominus Iohannes Auril, templum transiens ante altare maximum, eodem instrumento percussus, procubuit.

Frater Benedictus Leuesque laicus monasterij, promus condus, inter legendum preces pænitentiales necatus est.

Frater Theobaldus etiam laicus, diuini numinis zelo, in atrio trucidatus est.

Hi pluresque alij Sacerdotes, & laici Catholici, de quibus superius meminimus, quorum non fuit arma tractare, sed qui patientia constantissima sustinuere martyrium, numero paucissimi erunt, si quis respiciat numerum eorum, qui talibus modis in maiori parte prouinciarum, vrbium, aliorumque locorum Franciæ trucidati sunt; necdum ijs computatis, qui horribili aduersariorum proditione interempti sunt: Quos inter, silentio præterire nobilissimum, fidelissimum, fortissimum, & inuictissimum Principem *Franciscum Lotharingicum Ducem Guisianum* nequeo, cuius cædes vt in scholis *Bezæ* est concepta, ita ab impijssimo proditore Huguenotico *Iohanne Poltrot* est perpetrata. Hæc & similia exempla poterunt sufficere, vt ijs admoniti prudentes, arborem ex fructibus dignoscant, ac cane peius & angue idem malum vitent: impij verò conscientiæ morsu adacti, aliquando resipiscant.

PAR-

PARTICVLARIS

QVORVNDAM FACTORVM CRVDELIVM DESCRIPTIO AB REBELLIBVS CALVINI ASSECLIS (QVOS GEVSIOS

vulgus nominat) in Belgio commissorum, sub vsurpata authoritate Guilielmi Nassouij, *Principis Auriaci, diuini numinis inimici, in* Ecclesiam Catholicam *tyranni, &* Principi *suo naturali, legitimo, & de se bene merito rebellis.*

Irritauerunt Moysen in castris: Aaron sanctum Domini: Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron. Et exarsit ignis in Synagoga eorum: flamma combussit peccatores. Psalm. 105,

REVERENDVS frater Nicolaus Picque, ordinis ſancti Franciſci monaſterio præpoſitus, in ciuitate Gorcomio, vnà cum decem aliis fratribus, ſcilicet, Fr. Ieronymo Wertenſi, F. Willado Daneo, F. Nicaſio Heſio, F. Theodorico Emdeno, F. Antonio Hoornaer, F. Antonio Wertenſi, F. Godefrido Meruellenſi, F. Franciſco Roo Bruxellenſi, F. Petro ab Aſch, F. Cornelio à Wijck, pluribus acceptis & patienter latis contumelijs, multis alijs iunctis in vrbem Brilam fuere amandati:
A hi vt erant luto admodum conſpurcati & infecti, in circuitum patibuli cuiuſdam fuſtigationibus à militibus circumacti ſunt, his impudens miles aliquis crucem per ludibrium gerens & ſubſannans conuiciabatur. Omnes tandem 19. numero nocturno tempore, decimo quarto calen-
B das Auguſti, anno 1572. ex horrei cuiuſdam trabibus ſuſpenſi & ſtrangulati ſunt: deinde Tygres iſtæ, in mortuos etiam crudeles, eos naribus & auribus truncant, ventres diffindunt, & inde quicquid poſſunt adipis euellunt, is vbique per prouinciam ab ijs eſt venditus. Vndecim illis, quorum ſuprà meminimus, ſociati fuere Magiſter Leonardus Vechelius, Paſtor; Magiſter Nicolaus Popelius, Paſtoris vices gerens; Magiſter Godefridus Duneus, quondam Rector vniuerſitatis Pariſienſis, & tum paſtor Gorcomienſis; Magiſter Iohannes Oſterwicenſis, in monaſterio eiuſdem loci monacharum Pater; Magiſter Adrianus Heluerenbekius; Magiſter Iacobus Lacopius, ordinis Præmonſtratenſis monachus; Pater quidam Ordinis Dominicani; & Magiſter Andreas Gualteri, Paſtor in Haynort.

184. martyres. In hac vrbe Brilæ diuerſis vicibus ad centum octuaginta & quatuor perſonæ Eccleſiaſticæ martyrio ſunt coronatæ.

C Ieſu Chriſti crucifixi ſtatuam, in templo Gorcomienſi more Chriſtianorum conſueto erectam, abſtulerunt, & patibulo ſuffixerunt.

Presbytero cuidam apud Goudam Batauiæ vrbem, hoſtiam ſanctam è manibus eripuere, & patibulo clauis affixere.

Hor-

Horrenda inhumanitatis genera à Geuſijs Belgicis peracta.



Inflammata nouis augent incendia vires
Ignibus, exiguo niſi reſtinguantur ab ortu:
Vt deluſa modo contagia ſenſit eodem
Belgica, ſacrilegis nimium vicina Britannis.
Impia gens ſacris effert myſteria templis,
Omnibus idem animus, furor irriſoribus idem.

QVo tempore Auriacus Princeps Ruremundam Geldriæ vrbem occuparat, milites eius monasterium Carthusiense vi inuasere, exclamantes **Gelt**, **Gelt**, ea vociferatione significantes se velle pecunias. In introitu interempti sunt fratres laici tres, Albertus Winda, Iohannes Sittart, & Stephanus Ruremundensis: inde in templum proruentes, Venerabilẽ Priorem
A Ioachimum, precibus vnà cum ceteris fratribus intẽtum, offendunt, eum quum vulneribus afflixissent, inde extraxerunt: monachi quatuor ibidem necati, nempe Iohannes Leodiensis, & Seuerus, Sacerdotes; Henricus Wellen, & Fredericus, Diaconi: reliqui grauiter vulnerati relicti sunt.

B Vincentius Hercquius monachus laicus, ab ijsdem captus, & in templum raptus, flexis genibus postquam orasset, Domine Deus, merear quæso fratribus meis morte & martyrio sociari: militum vnus eo audito ingens illi in caput vulnus inflixit, adeò vt sanguine murus, vti adhuc conspicitur, admodum altè conspergeretur: deinde in plateas attractum, num religionem deserere, & partes suas tueri vellet, rogauit, vitam ei seruaturum incolumem: negauit id se facturum monachus constantissimè; & se mori malle, quàm negare fidem, professus est: & precatus, *Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; ab ijsdem constantiam illius stupentibus, sclopetorum missilibus trucidatus est.

C Eodem tempore Paulus à Walwick, reuerendissimo Domino Ruremundensi D. Guilielmo Lindano à sacris, qui ad id monasterium, vt in hac fortunata turba moreretur, confugerat, itidem interemptus est.

Priori eiusdem monasterij, duorum florenorum millibus redempto, Coloniam Agrippinam commeare concessum, vbi ex illato vulnere, elapsis septimanis sex, obijt.

26. martyres. In hac vrbe Ruremundensi tam monachi quàm sacerdotes viginti sex martyrio vitam finiere.

Hor-

Horrenda inhumanitatis genera à Geusijs Belgicis peracta.



Te non vlla mouet pietas, non sanguinis horror
Innocui, sanctas qui funere polluis aras
Improbe; sanguineam cui non compescere dextram
Maiestas veneranda loci, nec conscia cædis
Relligio potuit, cùm diuûm altaria ferro
Subruis, & sacras incestas sanguine vittas.

QVVM vrbem Flandriæ Audenardam Geuſij ſtratagemate occupaſſent, ſacerdotes omnes eiuſdem prouinciæ virtute & doctrina celebres corripuerant, & in caſtellum abduxerant: hos inter Magiſtrum Petrum virum venerabilem, & qui ætate omnes antecedebat, poſt illata ei varia opprobria & contumelias, veſtibus ſpoliatum, pedibus manibusque in dorſum colligatis, per feneſtras in fluuium præcipitem dederunt: orabat is, dum caderet, alacri animo & conſtanti, *Fiat voluntas tua, Domine.*

A

Eodem modo ſubſequenter præcipitati ſunt: Venerabilis Iohannes Obſtal, Paulus Coye, & reliqui, è quorum numero magiſter Iacobus Obeyn prouectiſſimæ ætatis & debilis, nec natandi peritus, ſublatus vndis non longè ab eo loco, ereptus eſt, & vitam habuit incolumem.

B

C Frater Iohannes Mahus, vir venerabilis, ex ordine S. Franciſci, paulo antè deſignatus Epiſcopus Dauentrienſis, ab ijſdem inclementiſſimè vulneratus, pedibus conculcatus, pluribuſque alijs iniurijs & opprobrijs affectus, inſtar putidi & abiecti cadaueris, in plateis relictus eſt.

D In eodem comitatu Flandrenſi, non longè ab Ypris, barbari iſti Geuſij Presbyteros ceperant, viuos hos capite tenus defoderant, ad hos vt ad ſcopum globis ludentes.

Hor-

Horrenda inhumanitatis genera à Geuſijs Belgicis peracta.



Enſe fatigatis rabies mutatur in ignes,
Nec ſatis eſt, numero cædis labor obruit idem.
Vertuntur leti ſpecies, ne temperet iras
Laſſus, & emeritus producat funera lictor.
Hic præceps animam rapidis exſpirat in vndis,
Ille ſuo viuus componit fata ſepulcro.

DEL-

DELPHIS Bataviæ vrbe occupata, quum eò Auriacus Princeps venisset, hospitij loco monasterio D. Agathæ vsus est: feminis monachis, ibidem venerabilis Pater Cornelius Mussius, maximæ eruditionis vir, & poëta insignis, ab auriculari confessione erat: hunc Auriacus (vt erat in omnibus actionibus suis simulator & dissimulator egregius) reuereri & fauore prosequi simulabat. Verùm crudelis furoris illius æstus aspectum viri istius honorandi diutius sustinere non potuit, quare Domino de Lumay in mandatis dedit, vt quoquo modo vellet, eum interficeret, quod vt commodius perficeretur, astu quodam facultas amplissima data est Mussio, quo liberè extra vrbem tenderet: atqui proficiscenti occurrerunt carnifices quidam, qui eum raptarunt secum, vt quo destinarant tormentorum genere excruciarent & trucidarent.

A Primo itaque diuersis quæstionibus exagitatus est: deinde altissimæ scalæ vtramque manum alligarunt, pedibus verò pondus intolerabile, vt amplius extenderetur: nec defuêre ardentes tedæ axillas comburentes.

B Post hæc tergo ad terram alligato supinum reclinant, ori prono per infundibulum superimpositum aqua infusa ventrem complent: turgidum ventrem exinde fustibus tundunt, & aquam ea qua intrauerat via, alijsque apertis corporis partibus exilire cogunt.

C Eo perfecto, ex duobus pedum maioribus digitis suspenditur funibus nouis, quibus ablata est & pellis & caro, & relicta ossa nuda; quo factum est, vt tot cruciatibus corpus debilitatum in terram exciderit.

D Postremò truncatis manuum pedùmque digitis, per niuem sanguine hoc innocenti cruentatam & rubentem pertractus est in vrbem Lugdunum Batauorum, atque ibidem in crucem actus. corpus autem tot tantisque crudelibus cruciatuum generibus fatigatum & exhaustum, animam Deo victoriæ & martyrij palma ornatam & gestientem, decimo Decembris die, anno 1572. reddidit.

E Fratri Engelberto à Burgo, Ordinis sancti Francisci, capto in Alcmaria Bataviæ vrbe, inter alia quæ passus est tormenta, viuo corpus thoracis in morem cultellis consciderunt.

F Apud Goudam Bataviæ vrbem dominus de Lumay duobus comprehensis monachis, Iohanne nempe Rikestelio Collationis domus, vt vocant, Patre, & Adriano eiusdem domus Procuratore, eos nudari iussit, & à militibus suis gladiorum ictibus se inspiciente compelli, vt per densissima currerent spineta; demùm laceratis corporibus & effuso sanguine nihil motus, trucidari mandauit.

Hor-

Horrenda inhumanitatis genera à Geuſijs Belgicis peracta.



Nec tua te pietas, nec Apollinis infula texit
Muſarum, Muſi, decus: ingenijq́; per omnem
Immortalis honos celebrem te reddidit orbem.
Nunc maior laus orta tibi, manet altera cœlo
Laurea, quam feritas Batauaq́; iniuria gentis,
Et multo peperit ſudatum vulnere letum.

MAGISTER Iohannes Hieronymus, oriundus ex Edam, cum alijs quibuſdam Catholicis Hornanis à Geuſijs captiui ducti ſunt ad locum quem vulgus Scagen nominat, in Hollandia Septentrionali ſitum: ibi quæſtionibus horrendis ſubiecti octies, quidam etiam mortui: ſuperſtites deinde ſupini religati, nudo ventri pelues inuerſæ ſuperimpoſitæ, ſub pel-
A uibus glires viui, ſuper pelues extructi ignes, quibus excitati mures maiores, dentibus ventres arrodunt, perforant, & in ijs ſe condunt: quibus tormentis fortunati hi innocentes interempti, animas ſuas Deo dedicarunt.

B Vrſula Taleſia, virgo religioſa in Beguinagio Harlemienſi, poſt patrem grandæuum, eius ciuitatis magiſtratum gerentem, pluresque alios cum eo Catholicos magni nominis viros laqueis ſuffocatos, perducta eſt ſub patibulum, & rogata, num fidem & religionem deſereret, & militi cuidam nuberet, quod cùm conſtantiſſimè negaret, in aquas proiecta eſt & ſubmerſa.

C Huius ſoror nupta, parentis & conſanguineorum mortem plangens, & in eadem fidei conſtantia perſeuerans, caput retulit ingentis lapidis iactu comminutum, adeò vt cerebella in faciem diffluerent.

Hor-

Horrenda inhumanitatis genera à Geusijs Belgicis peracta.



Non Schyta, Caucaseas nec qui tenet incola rupes,
Effera gens, tantum feritatis pectore gestat
Barbarico, non Etrusci tam dura tyranni
Imperia, horrendo qui funere mortua viuis
Corpora iungebat; tua quàm, Caluine, tyrannis,
Et portenta tui finxerunt quanta ministri.

PLVRA alia crudelitatis facinora ab ijſdem Geuſijs tyrannis perpetrata ſunt maiori in Belgicarum prouinciarum parte, & præcipuè in Batauia, Zelandia, Flandria, Brabantia, Geldria & Friſia: tanta namque tamque inſatiabili humani ſanguinis innocentis ſiti torquebantur, vt menſe Iulio anno 1566. in conciliabulo quodam, apud ſanctum Trudonem in cripta ab eis habito, propoſitum fuerit, vna & eadem nocte per decem & ſeptem inferiores has prouincias trucidare omnes perſonas Eccleſiaſticas, id quod Deus Opt. Max. diuina ſua prouidentia auertit, cui honor, laus ſit & gloria in omne æuum, Amen.

INQVISITIONIS ANGLICANAE, ET FACINORVM CRVDELIVM MACHIAVELLANORVM IN ANGLIA ET HIBERNIA A CALVINISTIS PROTESTANTIBVS, SVB ELIZABETHA ETIAMNVM

regnante peractorum,
Descriptiones.

Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Psalm. 43.
Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Psalm. 101.

A LOCIS ſecretis diuinum celebrantes ſacrificium, proditi Sacerdotes, captique vnà cum ingenti Catholicorum, qui ſacrificio intererant, numero, nimia violentia contumeliis oppleti, per plateas ducti, in carceres detruſi ſunt.

B Catholicorum ædes noctu occupatæ & ſpoliatæ, & ipſimet captiui ducti.

C Presbyteri diuino ſacrificio peragendo intenti, correpti, tracti, & vt ſacras induti erant veſtes, equis impoſiti, meridionali tempore funalibus ardentibus prælatis, in ludibrium per plateas circumducti ſunt.

D Catholici bini & bini colligati, ex carcere aliquo putido, in putidiorem & horridiorem tranſlati.

Perſe-

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Nec mora, nec requies, ſemper ſunt apta nocendi
Tempora, ſacrilega nox eſt accommoda fraudi,
Tutius & quicquid noctu peccatur inultum eſt.
Vt quaſcunque ſtruunt contra ius, fáſque piúmque
Inſidias, lateant melius, ne furta pateſcant,
Nec malè rapta queant repeti ſine teſtibus vllis.

EX ſocietate nominis IESV Patres, Sacerdotes, item Nobiles, & varij Catholici, crudelibus & inuſitatis ſubij-
A ciuntur quæſtionibus in turri Londinenſi, quibus potiſſimùm Sacerdotes affligunt, vt tormentorum aſperitate victi cogantur nominare eos qui ſeruitio diuino & alijs Sacerdotij Chriſtiani functionibus adſtiterunt.

B Aculeos ferreos, & longiores acus ſub vnguibus infigunt Sacerdotibus.

C Captiuos Catholicos ad miniſtrorum hæreticorum conciones violenter pertrahunt.

D Locus *Liteleaſe*, quem Requiem breuem Latinè dixeris, in quo incarcerant Catholicos, adeò eſt anguſtus, vt in eo nec ſtare, nec ſedere, nec iacere, liceat.

INTER *plurima alia tormenta, nullis in hoc libro imaginibus expreſſa, vnam quandam, eamque notabilem, ſæuitiæ & crudelitatis ſpeciem ſilentio non duxi prætermittendam, videlicet, quòd pauco ab hinc tempore Catholicorum quoſdam in viliſſimum & abominandum carcerem, nomine* Brideuellum, *coniecerint, eum (inquam) qui ſcurris caſtigandis deſtinatus eſt, qui ibidem laboris ergò quotidie molam quandam frumentariam vertere coguntur. Huiuſcemodi hominum fæci intermiſcent Catholicos, nobiles æquè ac ignobiles, vt eandem molam terant. Catholici, hi omnibus modis miſerandi, non ſolùm quotidianis ſcurrarum iſtorum ſunt ſubiecti opprobriis, ſed & flagellis miniſtrorum affliguntur, & nimiâ vi ad vertendam molam adiguntur, nec alia interim illis ferè alimenta præter aquam & panem mucidum ſubminiſtrantur.*

Perſe-

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Proditio eſt tenuiſſe fidem, diuináque legis
Dogmata crimen atrox, & læſi iniuria ſceptri,
Hinc illæ irarum ſpecies, ea facta Britanni
Carnifices vrgent, & longo examine ſudant.
Nomine ſub Chriſti dolor accuſare merentes
Vt faciat, fideíque luat conſtantia pœnas.

ADOLESCENS quidam Catholicus ex Anglia ſe quum ſubduceret, vt ab crudelibus iſtis cruciatibus ſecurus in libertate conſcientiæ Deo ſeruiret, in portu quodam maritimo arreptus, in turrim Londinenſem captiuus abductus eſt, quem fames, frigus, aliaque incommoda ibidem confecerunt: Qua-
A re quum eum veſtibus nudarent, carnem, quæ relinquens oſſa veſtibus adhærebat, auulſere.

B Inſtrumentum ferreum, quod inſtar globi hominem comprimit & rotundat, cui Catholicos includunt, & in eo horas aliquot detinent.

C D. Henricus Perſius, Comes Northumbriæ, vir non minus nobilitate quàm ſumma virtute inſignis, paucos annos poſtquam nobiliſſimus Thomas Perſius, frater eius, capite truncatus, obierat, quòd fidem tueretur Catholicam, in carcerem coniectus eſt: ſed quum tantæ eſſet innocentiæ, vt nulla quæſita cauſa colórue ſufficeret vt publice è medio tolleretur, crudeliſſimè in carceribus trucidatus eſt. Spargebant quidem in vulgus, hæretici, eum ſclopeto ſeipſum traieciſſe, ſed veritas poſtea cognita, impudens mendaciũ & inclementiam detexit.

D Quibus modis captiuis Catholicis ferro conſtringantur pedes.

Perſe-

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Quicquid in occulto eſt, in apertum proferet ætas,
Arcanumq; nihil quod non ſe prodat, ut ipſum
Auctorem accuſet ſceleris; licet abdita cæco
Carcere, & indicta leto det corpora cauſa,
Vulgabit tamen indicio ſe crimen, & ultrò
Culpa ſibi meritas perſoluet conſcia pœnas.

IN ciuitate Eboracensi, Comes Huntingtonius, vir crudelis, vices ibidem gerens regias, Catholicos inuestigare, & quæstionibus subijcere properabat: inter vexatos & miserè afflictos fuit virtute celeberrima femina Margareta Midleton nomine, Iohannis Clethero, eiusdem ciuitatis ciuis vxor, accusata, quòd Sacerdotes in ædes suas recepisset, & opibus ac facultatibus, eorum subleuasset inopiam, præterea in ædes suas plurimos Catholicos admisisset, vt cultui diuino, alijsque Christiani Sacerdotij functionibus, saluti humanæ necessarijs, interessent: Et quum ex voluntate eorum respondere nollet, nec quenquam nominare (ne alicui mortis esset causa, neue in tantas cruciatuum miserias traheret, ac naufragij in fide occasionem daret) morti admodum crudeli adiudicata est, nempe vt eo quem hæc figura demonstrat modo premeretur. Quam sententiam lætissimo suscepit vultu; & ad supplicij locum ducta, constantia admirabili inter eundum identidem hæc verba proferebat: *Tam breuis est via quæ ad cælum ducit, hoc quàm alio mortis genere.*

Fuit illa spoliata vestibus, solo relicto lineo indusio, deinde pedibus manibusque ligatis in terram supina reclinata, dorso supposita petra ingenti, & quidem acutissima; corpori autem iniecta tabula, onusta pon-
A dere librarum mille; atque eo modo tenerum eius corpus confractum & comminutum est. Dum his affligeretur tormentis, admiranda se patientia & constantia, cælitus infusa, armatam & munitam monstrabat, quibus Deus aduersus dira crudelitatis tyrannorum tormenta sanctos & fideles testes suos confirmat: maritus interim eius in exilium missus est: liberi autem paruuli, fidelis matris suæ mortem deflentes & lugentes, itidem arrepti sunt; & quum examinati ad articulos fidei, vt à matre edocti erant, responderent, acerbissimè & crudelissimè flagellis cęsi sunt: maximus verò natu, annorum solùm duodecim, detentus, & in carcerem missus est.

B Presbyter quidam cippis ligneis, pedibus in altum erectis, constrictus, tamdiu detinetur, quousque excrementorum suorum fœtore suffocatur.

C Fossæ subterraneæ profundæ, infesto aëre & fœtore repletæ, in quas Catholici immittuntur, & plærumque fœtidissimo aëre strangulantur.

D Hoc modo carceres omnes Anglicani fidelibus Catholicis complentur.

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Prote-ſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Et tua femineum commendat gloria ſexum,
Dura nec in ſummis animo demiſſa virago
Supplicijs, tenerámque tui non pondera molem
Corporis, iniecti non turbauere molares:
Quin, ait, his totos membris imponite montes,
Spiritus innocua tranſcendet ad aſtra ruina.

A PRESBYTERIS auriculæ candenti ferro perforantur.

B Catholici carris alligati, vicatim flagellantur.

C Catholicis ludibrio omnibus in Theatro publicè expositis clauis aures, trabi erectæ, affiguntur, non aliam ob causam, quàm quod misericordia moti, de innocentia martyrum, cæterorumque Catholicorum, ob doctrinam Christianam afflictorum, bene sentirent & loquerentur.

D Catholicus quidam in vrbe Dubri correptus, pelli vrsinæ insutus, ab infestissimis Angliæ Molossis laceratur.

E Catholici inter latrones, homicidas, aliosque maleficos ad iudicum tribunalia rapiuntur.

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Protestantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Perſonata ſibi ſumit violentia partes
Iuſtitiæ, tituliſque furit ſub imagine recti:
Non ratio, non certa fides ad iudicis aures
Peruenit infandi, ſatis eſt ius dicere ferro.
Damnatur, premiturq́; palam bona cauſa, nec vnquam
Opprimitur, rediuiua malis, ſuperata ſuperſtes.

DORMITIVS Hurleus, vtriusq; iuris doctor, in vniuersitate Louaniensi annos commoratus quindecim, & in Remensi vniuersitate annos quatuor, Reuerẽdissimi Domini Cardinalis Guisiani, Archiepiscopi Remensis authoritate Legum professor, Romam exinde discessit: hic à Pontifice Gregorio eius nominis decimo tertio, ob pietatis virtutisque singularem præstantiam Archiepiscopus Casseliensis, in Hibernia naturali patria creatus est, quò ocyus reuersus, vt gregem dispersum, si posset, colligeret: obuium habuit modicum admodum fidelium Christianorum numerum, ex omni naufragio seruatum: munia Episcopalia, vt verum decebat pastorem obijt: accusatus autem quòd Confirmationis Sacramento infantes aliquot muniuisset, comprehensus est: Et primò conditiones opimæ oblatæ sunt, apostatare si vellet, & fidei Iesu Christi renuntiare. At ille qui promissis huiusmodi flecti non poterat, persuadere eis nitebatur, vt secum de fide placidè conferrent, vt errorem eis aperire & ab eo auocare posset: illi verò furore & ira perciti, quæstionibus illum
A subijciunt. Ocreas enim oleo plenas pedibus inijciunt, & ligatum ea, quam hæc figura demonstrat, forma, ingentem ante focum collocant, vt vi flammæ ocreis adustis, tibiæ simul ardeant, adeò vt euellentes ocreas ad genua vsque carnem auulserint, relictis solis ossibus nudis, nec quicquam moti tanta eius in tantis tormentis in fide Christi eiusque Eccle-
B siæ debita cõstantia, quodam mane, horam circiter tertiam aut quartam, eundem vimineo constrictũ laqueo suspenderunt, quo langueret diutiùs. Constans fert fama in iis regionibus mulierem quandam nobilem à maligno spiritu, quo vexabatur, eo in quo passus est loco, fuisse liberatam.

C Patricius O-helius, Ordinis D. Francisci, Episcopus Maionensis, alio quodam monacho eiusdem Ordinis comitatus, & cum eo captus, suspensus & strangulatus est, in eo, quem indigenæ Kilmalock vocant, loco; & vt à lupis cæterisque feris deuorari commodè possent, adeò demissè & terram proximè suspensi sunt, vt plantis terram penè contingerent: Attamen nullo ferarum, hæreticis certè multo minus crudelium, dente læsi sunt: stupebant id plurimi, quoniam regio hæc bestijs crudelissimis abundat, quæ nunquam non prædas agunt.

Perse-

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Hibernia.



Spumanti diuiſa freto glacialis Hyberne
Diſtat, & abſciſsis interluit æſtus arenis;
Vt regione tamen ſic & feritate Britannis
Proxima, pernicies eadem confinia fecit.
In ſanctos pietate viros graſſatur eodem
Impietas odio, rabiemq; exercet eandem.

FORMA qua Iesuitas, Sacerdotes, Nobiles, aliosque Catholicos, subiectis vimineis cratibus, alligatos ad locum A supplicij raptant, quas comitantur opprobria, importunæ & blasphemæ ministrorum hæreticorum seductionis plenæ voces, vt eos in articulo mortis à vero abducant.

B Catholicis iam iam supplicio destinatis, preces sanctæ, meditationesq; interrumpuntur, rapiuntur ad immanissimæ crudelitatis, quæ in socios eorum exercetur, spectaculum.

C Suspensis necdum strangulatis subtrahuntur carri, quos patibulo affigendi conscenderant: præciditur deinde laqueus, vt in terram decidant.

D Inde ad rogum ingẽtem trahuntur, vbi in se reuersis, & quodammodo rediuiuis, verenda præscinduntur; diffinditur cum thorace venter, eripiuntur viscera, & in ignem proijciuntur, cadauera autem in quatuor partes dissecantur.

E Capita, corporisque secti partes, in aheno & lebete bulliuntur, deinde portis Londini alijsque locis affiguntur.

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Sanguinis effuſi firmamus pignore Chriſti
Maiorúmque fidem, magni fundamina Petri,
Et tantum Latijs apicem venerамur in oris.
At gregis electi cuſtodia non cadet vnquam
In caput, ô Regina, tuum, regéſque profanos,
Et minus in vilem fidei myſteria ſexum.

MARIA sereniſſima regina *Scotiæ*, legitima *Angliçæ* coronæ hæres, dotalis *Galliæ*, obitu *Franciſci* eius nominis ſecundi Francorum regis Chriſtianiſſimi, glorioſiſſimæ memoriæ, cui nupſerat, *Iacobi* eius nominis quinti, filia, & *Iacobi* eiuſdem nominis ſexti, etiamnum regnantis *Scotiæ* regis, mater, à matre ex illuſtriſſima *Lotharingiæ* familia, ortum ducens, ab hæreticis in regno ſuo afflictiſſima (qui nec Principibus ſuis legitimis parcunt, quin eos ſentire cogant, quanta hæreſis immanitate tumeat, quæ quos inficit, humanitate ſpoliat) in Angliam conA ceſſit Eliſabethæ reginæ euocatione & hortatu, promiſſis iuratis, & ratis factis, ac pacis, & amicitiæ perpetuæ ſignis firmatis. Sed vt primus, quem hæreſis profert fructus, perfidia eſt, ita & perfidiſſimè excepta eſt. Etenim ſpreto iureiurando, promiſſis omnibus improbè reſciſſis, vt primùm Anglicum littus attigit, capta & in carcerem detruſa eſt, quò contra omne ius diuinum & humanum, quoniam iure belli capta non erat, nec par in parem imperium aut iuriſdictionem habet, annos circiter viginti detenta, loco frequenter mutato, vt hac agitatione & tralatione maiori moleſtia conficeretur; tandem quum conſtans in fide & religione Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque Eccleſiæ Catholicæ, perſeueraret, fide & iuramento violatis, contempto iure gentium, in caſtello Foderinghamo, immitiſſimæ iſtius ſanctorum carnificis & homicidæ imperio, anno 1587. duodecimo calend. Martij ſecuri icta, capite truncata eſt. Hæc Princeps ingentibus cœlitus dotata erat muneribus animæ & corporis, nec vnquam quiſquam tantæ inhumanitatis inuentus, qui viſam non admiraretur, pietate & miſericordia commoueretur: ſed crudelis paricida intueri eam non ſuſtinuit, verita ne viſa iſtius Principis excellentia, & morum conſtantia, ſtomachum & pulmones ſanctorum ſanguine nunquã ſatiatos, humectari, & ſancto ac regio ſanguine irrigari non paterentur. Martyris huius & reginæ fides ac conſtantia commendatiſſimam eam & in cœlis & in terra reddidit: Hiſtoria eius alio loco fuſiùs tractabitur: interim Deum omnipotentem, iuſtum iniuriarum in ſanctum nomen ſuum, & crudelium facinorum aduerſus Eccleſiam ſuam commiſſorum vindicem obteſtamur, vt barbaram iſtam tyrannidem iuſtitia ſua vindicare dignetur, tradito in manus Principum Chriſtianorum, & Monarcharum æquitatis & vindictæ huius gladio. Amen.

Perſecutiones aduerſus Catholicos à Proteſtantibus Caluiniſtis excitæ in Anglia.



Poſt varias clades miſerorum, & cædis aceruos
Inſontum, comes exornat ſpectacula mater
Supplicio, & regum ſoror & fidiſſima coniux.
Illa Caledoniјs diademate claruit oris,
Sed micat in cælo fulgentior, inde corona
Sanguinis, infandæq́; manet vindicta ſecuris.

NOMINA QVÆDAM MARTYRVM, QVI SVB ELIZABETHA PRO ECCLESIÆ *& Catholicæ fidei defensione gloriosè mortui sunt.*

Anno Domini 1570. 71. 73. 77. 78. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87.

SACERDOTES.

Thomas Wodosius.
Cuthbertus Maynus.
Johannes Nelsonus.
Euerardus Hanseus.
P. Edmundus Campianus.
Rodulphus Ceruinus.
Alexander Briantus.
Thomas Fordus.
Johannes Shertus.
Robertus Jonsonius.
Gulielmus Philbeus.
Lucas Kirbeus.
Laurentius Richardsonus.
Thomas Cottamus.
Johannes Paynus.
Gulielmus Lacius.
Richardus Kirckmanus.
Jacobus Tomsonus.
Gulielmus Hartus.
Richardus Threlkeldus.
Johannes Mundinus.
Johannes Nutterus.
Georgius Hadocus.
Jacobus Fennus.
Thomas Hemerfordus.
Thomas Alfeldus.
Jacobus Bellus.
Hugo Talerus.
Edouardus Stransamus.
Nicolaus Wodfinus.
Franciscus Englebeus.

Plures alij Sacerdotes pauco ab hinc tempore necati sunt, quorum nomina ad nos nondum sunt delata.

LAICI pro eadem causa mortui.

Thomas Perceus Noorthumbriæ Comes, cuius frater Henricus non longo ab hinc tempore in carceribus trucidatus est.
Joannes Storeus I. doctor.
Johannes Feltonus nobilis.
Thomas Sheruodus.
Jacobus Laburnus nobilis.
Joannes Finchius.
Richardus Witus.
Johannes Bodeus.
Joannes Slaidus.
Thomas Webleus.
Gulielmus Carterus.
Margarita Midletonus.
Marmaducus Bous, nobilis.

Plurimi Catholici, tam Presbyteri quàm Laici, quæstionibus, tormentis, fame, frigore, & fœtore, interierunt, in fœtidis illis carceribus, qui per totum regnum iam Catholicis sunt completi.

Serenißima Maria Scotiæ Regina ab hæreticis regno pulsa est, ab iysdem vicennio captiua detenta, & tandem, contra omnium Principum Christianorum iura, ab iysdem in carceribus interempta est.

EPI-

EPILOGVS.

SPECTATVM satis est, nihil inclementius ætas
Protulit vlla palam, mentem furor impius omnem
Exuit humanam, nulli sua profuit ætas,
Non sexus, non innocui lactentibus anni,
Non senibus sua canicies, venerandaque multis
Maiestas vitæ meritis, non forma, pudorque
Femineus teneri subduxit corporis artus
Supplicio, non insontis reuerentia causæ,
Vindictæque metus: nec copia tanta nefandæ
Cædis inexpletas satiauit sanguine fauces.
Diuersumque genus læti, speciesque cruentas
Funeris insoliti, nullisque exercita sæclis
Vidimus in nostro pœnarum inuenta theatro.
Vidimus exanimis sæuire in viscera trunci,
Et rabiem cineri non indulgere sepulto:
Sanguineisque trucem manibus fœdare furorem
Sancta profanatis mysteria vidimus aris.
Quid superest; corámne tuos attollere vultus
Hæresis audebis, causamque animumque nocendi,
Aut aliquo poteris prætexere nomine culpam?
Forsitan obijcies, multos cecidisse tuorum
E numero, letoque fidem sanxisse cruento,
Et causam firmasse tuam, sed falleris vsque
Falleris, & longo nostris discrimine differs
Supplicijs: tibi seditio, tibi perfida pœnas
Ingerit improbitas, tuus & te legibus error
Condemnat patrijs, & digno verbere plectit.
Te ceu perniciem medio de corpore ferro
Tollit, & accensum lictor premit igne venenum,
Ne syncera tuo lædantur viscera morbo.

Nobis

Nobis sancta fides, & mens sibi conscia recti
Exitium dedit innocuis, & candida morum
Simplicitas, cultusque Dei, legesque vetustæ.
Te causa prius excußa sententia iusti
Iudicis, & multo defensam examine damnat:
Tu causa nos indicta, & sine testibus vllis
Obruis, & cæco rapis ad tormenta furore.
Te nos inuiti pereuntem cernimus, & te
Funeris auctorem proprij miseramur, habentque
Vota locum, lacrymæque ream commissa fatentem
Supplicio eripiunt, si spes affulserit vlla
Propositi melioris, & ad pia iussa reuerti
Non renuas, iterumque gregi te iungere sacro.
Nos odijs infanda tuis tot monstra subimus
Pœnarum, feritasque modis non flectitur vllis;
Gustatoque semel non abstinet ira cruore,
Augeturque sitis, repetitaque sæpe voluptas
Sanguinis exstimulat magis, & fastidia demit
Ingeniosa gulæ rabies, semperque nouando
Funera delectant auidum peregrina palatum.
Gens tua quæ meritas exsoluit corpore pœnas,
Contemptrix scelerata Dei est, periura, rebellis,
Impia, Christiadum gens nescia fœderis, exlex,
Quæ studio populum nouitatis ab ordine recto
Auocat, & cæcis erroribus implicat orbem;
Docta bonos mores corrumpere, vertere turbis
Otia, pacato confingere iurgia mundo,
Fex populi, gentisque nefas, ignobile vulgus.
At qui militiæ proceres dant nomina nostræ,
Quàm series animosa virûm! qui sanguine clari
Sanguine nobilitant genus, & cœlestia rursus

Morte petunt quibus eſt cœlis affinis origo.
Adde Sacerdotum tot millia, quæque ſeuero
Exercent vitam arbitrio collegia Fratrum.
Adde graues pietate ſenes, apicesque beatos,
Paſtoresque gregis, Latia quos infula vitta
Diſcernit populo, meritisque inſignibus ornat.
Adde viros quibus eloquij vis ſumma diſerti,
Summa gerendarum fuit experientia rerum.
Adde Caledonij commiſſa piacula regni,
Infandumque nefas, cùm regia colla ſecuris
Et geminum diadema ferit, quo nulla vetuſtas
Funere maius habet, ſeris nec proferet annis
Poſteritas, magnique necem mirabitur inſtar
Prodigij, Regina, tuam, ſed gloria maior
Quò tibi culpa minor, tantoque celebrius orbe
Nomen erit, quanto fidei conſtantia maior,
Dum iugulum petit intrepidum ſcelerata ſecuris
Quæ tibi mens tum, lictor, erat, cùm verbere crudo
Colla ſecas, manibus quæ non contingere fas eſt?
Si Marium poſt Teutonicos mors ipſa triumphos
Fugit, & attonito percuſſor conſtitit ore;
Tu Mariam vita priuas, nec torpuit ictus
Maieſtate ſacri capitis? ferrúmve repreſſit
Dextra, nec auguſtos acies defecit in artus?
Heu quantus Regina iacet termaxima truncus!
Quæ matres Regumque nurus ſupereminet omnes!
Sed Deus, ipſe Deus tanti ſe criminis olim
Se dabit vltorem, nouus aut naſcetur in orbe
Alcides, qui reginæ miſeratus iniquum
Hoſpitis exitium vindex ſecet æquora claſſe,
Pollutumque manu cognato ſanguine regnum

 Expiet

Expiet armata, Rutupinaque ſceptra Boleni
Non metuat generis, procumbentemque leænam
Robore victricis doceat manſueſcere dextræ.
At te tantarum moneant ſpectacula rerum,
Hæreſis, incutiantque tibi tua monſtra pudorem,
Si quis adhuc ſupereſt: tua nunc fraus omnis, & error,
Et taciti patuêre doli, poſitisque bidentum
Exuuijs patefacta lupi præcordia crudi.
Sed tolluntur humo ſuſpiria, nubila fumum
Sanguinis excipiunt inſontis, & ipſe piorum
Exaudit lacrymas genitor, nec deſeret vnquam
Militiam dux ille ſuam, nec parua rependet
Præmia, ſed rutilis victores inferet aſtris,
Perpetuoque gregem electum tutabitur æuo.
Non eadem tibi conditio, non fata parantur,
Impietas, dabis æterno, dabis improba pœnas
Tempore, cumque tuis auctoribus ipſa peribis.

I. B.

Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. *Pſalm. 115.*

PER-

PERORATIO.

QVVM hucuſque, Chriſtiane & amice Lector, diuerſa hæc horribilia & ſanguinolenta ſpectacula oculis tuis ſubiecerim, & tandem ad prodigioſum hoc ſcelus ventum ſit, necem & martyrium, inquam, ſacratæ, vnctæ & coronatæ Reginæ, ſiſtere hic libuit, & operi hunc vmbilicum addere: particulatim enim martyria ab hæreticis ætate noſtra omnibus Catholicis illata deſcribere, operis eſſet infiniti, nec ſine immenſo & diuturno labore colligi poſſent, & certa omnium crudelium facinorum, in diuerſis Chriſtianiſmi locis ab ijſdem perpetratorum, cognitio pro impoſſibili habetur.

Hic deſcripta tantummodo habes exquiſita quædam diuerſa tormentorum genera, quibus Dei populum deformati iſti reformatores affligere tantopere delectati ſunt: quorum horror terrarum orbem prodigij inſtar concutiet, & ſtupore poſteros omnes corripiet.

Et quanquam populum ſuum miſericordiæ oculis ſuis Diuina maieſtas ſemper adeò reſpexerit, vt in profundiſſimis perſequutionum vndis inuictum illis animum, & admirabilem conſtātiam indiderit: his nihilo minus præterea notabile ſpecialis miſericordiæ & fauoris ſui addidit teſtimonium, vt ſcilicet flagellati perſequutores noſtri, non perpetuo inſolentiæ ſuæ triumpho in populum ſuū exultent, dicentes: Vbi eſt Deus eorum? Plurimos etenim illorum, quum in ſummum tyrannidis faſtigium euaſiſſent, corripuit, diſiecit, pudore & ignominia contriuit; quorum exempla aliquot (vt afflictis ſint ſolatio, perſequutoribus autem terrori) particulatim ſubijcere non erit inconueniens; quemadmodum ſcilicet iuſta Dei iudicia in authores quoſdam, & capita eorum præcipua inciderint.

GERMANIA.

A *Iohanne Friderico Saxoniæ Duce*, Principum qui Luthero fauebant præcipuo, exordiar. Is armata manu in campum aduerſus Carolum eius nominis quintum Cæſarem victorioſiſſimum progreſſus, cum omni exercitu funditus deletus, ac vulnere deformis, & captus, ſe ducatu abdicare coactus eſt, qui nec iam à poſteris ſuis poſſidetur.

ANGLIA.

H*Enricus* eius nominis octauus, *Angliæ Rex*, qui ſe ab *Eccleſia Catholica* ſeparauit, vt à legitima vxore diuertere, & aliam, Annam Bole-

niam, nomine, Elizabethæ iam regnantis matrem, ſuperinducere impunè liceret, eandem Annam abominabilis adulterij conuictam, paulo pòſt capite truncari iuſſit. Poſtmodum vt pro libito duxerat, dimiſerat, repudiarat, necarat vxores & amicos, tanto tandem conſcientiæ tormento ob iniquitates à ſe perpetratas excruciatus eſt, vt ter Pontifici maximo reconciliari ſtuduerit, id tamen, maiori ſupplicio, quod meruerat, deſtinatus, perficere non potuit: ſed maximo animi mœrore, & conſcientiæ cruciatu victus interijt. Et illius etiam qui nullo diuino motus timore teſtamenta & vltimas tot ſanctorum hominum voluntates irritauerat, teſtamentum, priuſquam membra eius morte diriguiſſent, reſignatum & falſatum eſt: quinetiam progenies eius omnis & ſoboles iam penitus quaſi extincta eſt.

THomas *CromWelius* primus huic regi author & conſultor, vt ſanctæ Eccleſiæ authoritatem impugnaret; & ſe ſupremum Eccleſiæ caput conſtitueret, & tot ſacrilegia committeret, quum legis cuiuſdam condendæ inuentor & promotor fuiſſet, qua cautum fuit, vt quicunq; proditionis accuſaretur, nulla admiſſa excuſatione aut reſponſione condemnaretur, & necaretur: primus omnium fuit, qui huius legis rigore interfectus eſt, iuſſu eiuſdem Regis, cui conſultor extiterat.

POſt obitum eiuſdem regis Henrici, *Eduardus Seamer*, *Somerſetanus Dux*, Regis Eduardi iſtius nominis ſexti Henrici filij nonemus regnique protector conſtitutus eſt: hic Miſſam & Religionem ab Henrico rege fortiter defenſam, aboleuit: hic omnium primus Zwinglianiſmum publicè introduxit, quem ſuperior rex inter omnes hæreſes maximo odio proſequebatur. Dux iſte, quamuis regis iunioris auunculus eſſet, eumque & regnum gubernaret, ſcelerum tamen accuſatus, condemnatus & capite truncatus eſt.

SCOTIA.

IAcobus *Comes Moraius*, Iacobi eius nominis quinti Scotiæ regis filius nothus, qui non ſolùm in necem Henrici quondam regis conſilium dederat, ſed & hæreſes tutabatur, & rebellionem aduerſus reginam Mariam moliebatur, quam & ex regno fugauerat, in vrbe Lithco (quamuis quingentis equitibus ſtipatus & munitus eſſet) ſclopeto ipſo meridie in plateis traiectus, interijt: euaſit tamen facinoris eius author. Hinc liquet

quàm

quàm ſit eius qui tyrannum interficit, ſucceſſus diuerſus ab eo, cuius auſu ſcelerato probus Princeps perimitur. Poltrotus enim, ille ſcilicet proditor, qui fortiſſimum regis ſui miniſtrum, illuſtriſſimum ducem Guiſianum ſclopeto confixit & interemit, quanquam tanta oportunitate id peregiſſet, vt effugeret: in eo tamen ſtupendum Dei iudicium emicuit, quòd is ipſus poſtero die in inimicorum manus incautus inciderit, à quibus captus, ſupplicio quod meruerat, eſt affectus.

IAcobus Duglas Comes Mortonus, in eodem Scotiæ regno, inſignis hæreſum defenſor, & Catholicorum perſequutor, tantæ potentiæ fuit, vt iuniorem regem regnumque eius gubernaret. Is tamen ſummæ proditionis multis modis accuſatus eſt: præcipuè verò quod in necem patris moderni regis, quatuordecim elapſis annis commiſſam, conſenſiſſet. Item quòd regem iam regnantem in Angliam traducere pepigiſſet, ac ſcelerum horum conuictus, ab optimatibus regni morti adiudicatus, & Edenburgi ſecuri percuſſus eſt.

GALLIA.

COndates Princeps ad hæreſum tuitionem arma ferens aduerſus Chriſtianiſſimum Galliarum regem, in ipſo iuuentutis flore, in campis cæſus, interijt.

GAſpar de Colligni Galliæ Architalaſſus, poſtquam longa & aperta rebellione hæreſes tutatus eſſet, & plurima horrenda crudelitatis genera edidiſſet, regem tandem ad duriſſimas pacis conditiones compulit; tanta deinde pompa tantoque apparatu in regiam Pariſienſem inuectus, vt rex ipſe, non ſubditus, videretur: paucis exinde diebus acephalus & caudæ equinæ alligatus per plateas Pariſienſes, ab omnibus publicè raptari viſus eſt, patibulo denique affigi.

DOminus de Montgomeri, quum arrepta fuga ex cæde Pariſienſi, in Angliam ſaluus euaſiſſet: inde in Normandiam nouis ſuffultus viribus irrupit, & caſtellum quoddam ſtratagemate in poteſtatem redegit, quo à regijs recuperato, captus & Pariſium miſſus, ibidem capite luit, in quatuor partes diuiſus.

Comes Ludouicus Auriaci Principis frater, Geuſiacæ rebellionis author præcipuus, in regionibus Belgicis, quum amiſſo in campis Moxenſibus prœlio, in caſulam quandam, vt ſe ſeruaret, confugiſſet,ea fortuito caſu accenſa, viuus combuſtus eſt.

Eodem in prœlio itidem perijt frater eius *Henricus*, vt & paulo antè in Friſia frater tertius, *Adolphus.*

Dominus Lumeyus, Marchiæ Comitem ſe iactitans, reuera tamen Auriaci Principis carnifex, centenis aliquot Religioſorum, Presbyterorum, atque aliorum Catholicorum atroci morte iuſſu eius peremptis in Hollandia, Zelandia, aliisque locis, tandem ex moloſſi Anglicani, quem educarat,morſu,rabie & inſania correptus, Leodij vita defunctus eſt.

Princeps Auriacus, Belgicarum calamitatum maximus author, dum populum ſuprema rebellione, ad arma aduerſus Regem ſuũ ſtimulando concitat, plurima ſacrilegia, homicidia, periuria, proditiones,& infinitas alias iniquitates perpetrauit, nec trium fratrum ſuorum, nec multorum millium ob eandem cauſam interfectorum, infelici obitu, nec duobus mortiferis, in eum ipſum antea intentatis conatibus, moueri aut conuerti potuit, ſed tanquam obduratus Pharao in iniquitate perſtitit. Et quum animi adeò vilis & abiecti in iniqua ſua cauſa eſſet, vt nunquam ſe aperto campo aduerſus hoſtes committere auderet, ſed perpetuò in ciuitatem aliquam munitam à periculo longè ſemotam & ſecuram ſe ſubduceret: tandem tamen etiam deprehenſus eſt, & meritorum ſuorum ſalariũ recepit, ac diſperſis ſclopi ictu viſceribus,impijſſimã vitam finiuit.

Et quanquam conſtantiſſimus & ſtrenuiſſimus miles *Balthazar Gerardi*, qui eundem, vt Deo & Regi ſeruitium debitum præſtaret, interemit; non euaſerit: admirabilior tamen eo ipſo Diuina eſt prouidentia, & fama eius celebrior, quàm ſi vita incolumi effugiſſet: quoniam nullo doloris aut cruciatus ſigno edito, æquo animo & hilari patientia, tot tantaque horribilia, & exquiſita perpeſſus ſit tormenta, quanta vix vnquam alius quiſpiam ætate aliqua ſuperiori.

His plurimi magni nominis etiam addi poſſent, qui coactis variis caſtris,

ſtris, multisque ſuorum millibus cæſis, nec in Gallijs, nec in Belgio, nec alia quauis in regione, victoria aliqua notabili potiti ſunt.

Potens verò illa antiqua & nobilis Germanorum natio, quæ bellicoſæ olim nomen obtinuit, & factorum gloria orbem compleuit, quantum concidit, & in bellicis rebus gloriæ perdidit? ab eo tempore, quo hæreſibus adhæſit, prorſus labefactata: econtra quanta florent potentia, diuitijs, & victoria, nationes illæ, quæ nunc temporis auitam Catholicam fidem aduerſus hæreticos & rebelles tutantur?

Si quis autem vel Princeps, vel Status hæreticus, inſolenter ſe nimium iactare audeat, velut in Apocalypſi mulier, quæ ſanguine ebria, dicebat, *Sedeo regina; & vidua non ſum, & luctum non videbo. Apoc. 18.* Meminerint illi, poſt omnem ſecuritatem ſuam, repentina ſe clade tandem obruendos, & horrenda præcedentia exempla intueantur, quibus edocentur, quanta ruina, quamque infauſto exitu, propriæ tyrannidis inſtrumenta, adminiſtri & confœderati extincti ſint: quorum honor cum illis (ſi non & antè) interijt: honor autem & gloria eorum, quos iſti perſequuti ſunt, in cælis & terra perpetuò fulgebit.

At reuera omnis ea fallax voluptas (ſi tamen ſceleratum eſſe volupe eſt) quam hæretici ſibi per actus infames, crudelia & horribilia facinora tempore breuiſſimo pariunt, immodico timore, & periculo admixta eſt. Sciant enim oportet, æquitatem veritatemque excubare, vt iniquas eorum actiones patefaciant & vlciſcantur: id enim fallere non poteſt, vt quale cuiuſque rei initium eſt & progreſſus, exitu ipſo & fine pateat.

FINIS.